z księgozbioru Augustianów w Krakowie

kostet antiquarisch 36 Mark

ALPHABETVM

FELICIS MILENSII

De Monachis & Monasterijs Germa-
niæ, ac Sarmatiæ citeriois, Ordinis.

Eremitarum Sancti Augustini

In quo, præter historicam veritatem, multa dogmaticè disseruntur, catholicæ fidei admodum conducentia

Langhein

Noctem illam duxit Rex insomnem, iussitq; sibi afferri historias, et annales priorum temporum

Esth. VI. a 1630

Pragæ Anno. M.D.C.XIIII. Superior. permissu

Typis Caspari Kargesij

Sumptibus Iacobi Brechtanj

SERENISSIMO
FERDINANDO ARCHIDVCI AVSTRIÆ, DVCI BVRGVNDIÆ. STYRIÆ, CARINTHIÆ, Carniolæ, & Wirttembergæ, Comiti Tyrolis, & Goritiæ, &c. Principi verè Magno, atque Catholicissimo.

AVTORVM ILLVSTRIVM LVcubrationes præclaras, atque proficuas dare typis etsi pertineat ad omnes, quibus caræ sunt literæ, & prospectum Reip. cōmodum, tamen ad bibliopolas præsertim id pertinere omnino censeo, qui perpetuò librorum mercaturæ incumbentes, norunt, qui libri, quorumuê Autorum, sint magis hominibus studiosis necessarij. Quare cum in meas manus venerit opus historicum simul ac theologicum Reuer: Patris Felicis Milensij in theologia Doctoris, viri eruditissimi, quod Alphabetum nominauit, prælo illud committere decreui; & tam Augustinianis Fratribus Eremitis, quàm omnibus alijs, de literis, ac de fide Catholica benemeritis rem æstimaui facere periucundam. Cogitanti autem cuinam Principum magis congruè illud dicarem, occurrit animo statim Serenissima Celsitudo Vestra, quæ tantis catholicam Ecclesiam amplexata est viribus, nexibusq; tanto zelo, & ardore spiritus, ut ditiones suas omnes Augustissimo, imò Christianissimo, Catholicissimo, ac fortissimo animo purgarit prorsus ab omnium hæresum, quæ tartareo impetu interfluxerant, fœditatibus. Qua vera, atq; incomparabi-

li pietate quid laudabilius? Accedit huic ratio, item eximiæ pietatis, qua omnes Regularium Religiosorum Ordines ita promouet, ut eis sumptuosa, atq; innumera erigat, dotetq́; monasteria, quæ verè sunt Dauidicæ illæ arces, quæ ædificatæ sunt cum propugnaculis, & ex quibus clypei pendent milleni. Quapropter nullus est inter religiosos viros, qui doctrina, prudentia, probitate fulgeat, quem Serenitas Vestra non diligat, protegat, euehatq́;. Inter quos est Pater ipse Milensius, vir certè illustris, tum nobilitate generis, morumq́; candore, tum etiam doctrina, atq; facundia; & (quod nouit benè Germania uniuersa) regimine, ac magistratu. Mira enim sunt, & magnis laudibus prædicata, quæ is gessit in visitandis, augendis, ac reformandis Germaniæ monasterijs: quorum etsi in hoc opere, aut nullam, aut breuissimam præ modestia mentionem faciat; viua tamen in ore omnium bonorum hominum fama est, & visibilia opera, quæ ipse fecit. Vestræ igitur Serenissimæ Celsitudini Alphabetum Patris Milensij humillimè dedico, eamq́; suppliciter oro, ut dignetur serenissima fronte (ut solet) illud suscipere. Contundat Deus omnipotens omnia Turcarum, atq; hostium capita ante pedes inuictos Serenitatis Vestræ, quos reuerenter amplector, & osculor. Pragæ, Nonis Augusti, M.DC.XIII.

Serenissimæ Celsitudinis Vestræ

humillimus, ac deuotissimus Seruus

Jacobus Brectanus Bibliopola

Aulicus Pragensis.

M. JOANNIS SIXTI PROTONOTARII APOSTOlici, & S. Metropolitanæ Ecclesiæ Pragensis Canonici Senioris, Decani Vischegradensis, &c.

SILONIANVM.

sohpmuirtatnemeletnuntelementatriumphos
ohpmuirtatnemeletnuiuntelementatriumpho
hpmuirtatnemeletnuiriuntelementatriumph
pmuirtatnemeletnuirariuntelementatriump
muirtatnemeletnuirapariuntelementatrium
uirtatnemeletnuirapspariuntelementatriu
irtatnemeletnuirapsospariuntelementatri
rtatnemeletnuirapsoeospariuntelementatr
tatnemeletnuirapsoereospariuntelementat
atnemeletnuirapsoerereospariuntelementa
tnemeletnuirapsoeredereospariuntelement
nemeletnuirapsoeredidereospariuntelemen
emeletnuirapsoeredisidereospariunteleme
meletnuirapsoeredisisidereospariuntelem
eletnuirapsoeredisibisidereospariuntele
letnuirapsoeredisibibisidereospariuntel
etnuirapsoeredisibitibisidereospariunte
tnuiraps'oeredisibitctibisidereospariunt
nuirapsoeredisibitcæctibisidereospariun
uirapsoeredisibitcæHæctibisidereospariu
nuirapsoeredisibitcæctibisidereospariun
tnuirapsoeredisibitctibisidereospariunt
etnuirapsoeredisibitibisidereospariunte
letnuirapsoeredisibibisidereospariuntel
eletnuirapsoeredisibisidereospariuntele
meletnuirapsoeredisisidereospariuntelem
emeletnuirapsoeredisidereospariunteleme
nemeletnuirapsoeredidereospariuntelemen
tnemeletnuirapsoeredereospariuntelement
atnemeletnuirapsoerereospariuntelementa
tatnemeletnuirapsoereospariuntelementat
rtatnemeletnuirapsoeospariuntelementatr
irtatnemeletnuirapsospariuntelementatri
uirtatnemeletnuirapspariuntelementatriu
muirtatnemeletnuirapariuntelementatrium
pmuirtatnemeletnuirariuntelementatriump
hpmuirtatnemeletnuiriuntelementatriumph
ohpmuirtatnemeletnuiuntelementatriumpho
sohpmuirtatnemeletnuntelementatriumphos

tilocodrosuutetetuusordocolit
ilocodrosuutetrtetuusordocoli
locodrosuutetrertetuusordocol
ocodrosuutetrecertetuusordoco
codrosuutetrecacertetuusordoc
odrosuutetrecasacertetuusordo
drosuutetrecasesacertetuusord
rosuutetrecasenesacertetuusor
osuutetrecaseninesacertetuuso
suutetrecasenitinesacertetuus
uutetrecasenitstinesacertetuu
utetrecasenitsustinesacertetu
tetrecasenitsugustinesacertet
etrecasenitsugugustinesacerte
trecasenitsuguAugustinesacert
etrecasenitsugugustinesacerte
tetrecasenitsugustinesacertet
utetrecasenitsustinesacertetu
uutetrecasenitstinesacertetuu
suutetrecasenitinesacertetuus
osuutetrecaseninesacertetuuso
rosuutetrecasenesacertetuusor
drosuutetrecasesacertetuusord
odrosuutetrecasacertetuusordo
codrosuutetrecacertetuusordoc
ocodrosuutetrecertetuusordoco
locodrosuutetrertetuusordocol
ilocodrosuutetrtetuusordocoli
tilocodrosuutetetuusordocolit

EIVSDEM EPIGRAMMA BOHEMICVM.

Nak gest wěc milá, pobožná/
Nak prospěssná, spasytedlná/
W čistostě Bohu slaužiti/
Gemu se Srdcem ljbiti:
Klásstery, Chrámy stawěti/
Opustiti Ženu, Děti/
Žiwu býti w pobožnosti/
Následowat dobrých Ctnosti.
To wsse Milencyus mjle/
Vkazuge této chwjle/
W Knize kterauž w Praze wydal/
Alphabetum gi gméno dal:
W njž začátek Ržádu swého/
Prospěch a mnoho dobrého/
S prawým gruntem wyprawuge/
Wám gi Czechům dedykuge.
A. B. C. D. čtěte pilně/
Vhljdáte neomylně/
Žě Swět giž za nic nestogj/
Blaze kdož se Boha bogj.

EIVSDEM EPIGRAMMA GERMANICVM.

Waß fur ein Buchlein dieses ist /
Wilst wissen frommer Deutzscher Crist:
Das A. B. C. sein Tittel ist.
Fragst weitter was es in sich hålt /
Als das was Gott dem Herrn gefålt /
Vnd vns absondert von der Welt.
Da magst du sehn die Tugent schon /
Welche gelehret der Heilig Man
Augustinus var seiner Nahm.
Jhm folgten Kayser, Kônig nach /
Fůrsten, Grauen, vnd Herren Hoch /
Sie luden auff sich Christi joch.
Sie bauten Klôster, Kirchen fein /
Sie lebten drinnen Keusch vnd Rein /
Las mirs ein Englisch leben sein.
Sie schlugen hin das Weltlich gutt /
Dem fleisch dem liessens kheinen mutt /
Seelig ders jhnen nacher thuett.

FELICIS MILENSII
ALPHABETVM.
AD ANGELVM CAMERTEM A ROCCHA Episcopum Tagastensem, & Sacrarij Pontificij Præfectum.

ANNALIVM ORDINIS NOSTRI continuandorum decretis, in generali panegyri anno Christi millesimo sexcentesimo secundo Recineti latis, dum Congregationi præeram Dulcetanæ, paruissem opportunè, & satisfecissem absque multo negotio, Angele Præsul, si Iosephi Pamphili, Episcopi Signini, chronicis, à millesimo quingentesimo septuagesimo nono, ubi ipse desinit, succedentes, ad hunc usque annum sexcentesimum octauum supra millesimum, non absimili stylo addens, ad exactam rerum, hominúmq; cognitionem id sufficere existimassem: sed multò altiùs (tantum audet obedientia) collimans oculos ; uniúsque Parentis nostri Augustini ætatem, & post eum ducenta ultra mille secula ab ortu Ordinis, rerum copiam, gestorum magnitudinem, Sanctorum, Virorúmq; illustrium vitas, & merita ; atque in tanta temporum vetustate, rerúmq; varietate, & mole, summum multorum silentium, quorundam verò pugnantes admirans sententias, unde non pauca , nec exigui illa quidem ponderis vel in controuersiam venerunt, vel infra cani temporis rugas huc usque obstrusa latent , haud potui salebroso chronicorum Laconismo contineri, acquiescere multò minùs. Quin potiùs

Hiſtoriam magnam, magno Patri, magnoq; Ordini conuenientem, in quatuor partes diſtributam, Aſiatica orationis redundantia ſcribens, prima, Auguſtinum; ſecunda, ab eius ad noſtra tempora, Ordinis geſta; tertia, Sanctos, & eximios Patres; quarta, monaſteria omnia, alto adhuc in æquore fluctuans, comprehendere nitor. Opus, fateor, ſupra vires meas, quaſi cum Accu deſipiente, clauum ſpongia in pariete figere velim; ſed quod, aſpirante Deo, forſitan hoc ſexennio abſoluiſſem, niſi harum perdifficiles Prouinciarum viſitationes quotidianæ ultrò, citróq; iactaſſent mentem, exarmaſſent ingenium, ipſius temporis momenta penè omnia exhauſiſſent. Interim ſiquà tranſire, ſiquò accedere, ſicubi morari pauliſper licuit, obſeruatu digna, quæcunque potui, annotaui in ſchedulis. Atqui harum aliæ, doleo, itinerum incommodis euolarunt è codice; aliæ in ſcripturarum exoneratione dilacerationem, aut ignem caſu paſſæ ſunt; multæ verò, fortunatæ aquis, fluuiorum, & imbrium inemendabiles ſenſère lituras. Nihil hic, aut certè valde parum, de Prouincia Belgica; nihil de Congregatione Dalmatica; Rhenana item, Sueuicáq; quotquot ſunt comprouincialia monaſteria, obliterata omnia, exceptis paucis, ut & Styriaca. Præſtitiſſet quidem ea animo, quàm chartis inſcribere, ut Antiſthenes cuidam deploranti, quòd commentarios ſuos perdiderat, ſapienter reſpondit; verùm non eadem eſt chronicorum, & reliquarum ſcientiarum ratio: nam tot temporum, locorum, propriorúmq; nominum, plerunque inuiſitatorum, diſcrimina, & memorabilium rerum monumenta innumera retinere animo ad ſyllabam, cum vix ſemel atq; iterum lecta, papyro excepimus, non humanarum eſſe virium arbitror. Iam tandem Italiam cogitans (ecquis non patrium affectet cælum? quæ ſuperfuerunt, veredario calamo paulùlum hyemante, in ſeriem Alphabeti diſpoſita, dicam

ramenta,

ramenta, ne similiter intereant, mista ruderibus congero: & qui hactenus gigantem pingere nequiui, eius nunc magnitudinem non pollice, sed auricularis digiti ungue delineato indicans, Ordini nostro memoriam debiti mei testatam facio. Etenim reor non minus pertinere ad gloriam regni splendidissimas urbes, quàm ad laudem antiquitatis collapsas thermas, & obeliscorum imminutas, spectabilésq; ruinas. Porrò quemadmodum Latini ad literarum integritatem eum quoque caratterem retinent exiguissimi halitus, quem aspirationem vocant; ita, velut aspiratio quædam (quandoquidem ab aspiratione nomen Historiæ incipit) hoc meum hæreat Historiæ Alphabetum. Ad te verò, de sacris viris, sacrísq; rebus dicturus, sermonem dirigo, qui summi sacrarij Apostolici summus es custos, eiusdémq; Eremitici Ordinis professor ingenuus, ac doctor varia eruditione ornatus; ad te, patriæ urbis, urbis inquam Tagastensis, Augustini Patris nostri patriæ, nouo iure, sed uti hæreditario, Episcopum. Quam solam ob rem quantum tibi debeatur laudis, ij dixerint, qui tibi in dignitate, ut in officio succedent. Mihi verò hoc unum erat in desiderio, ut tecum, qui Angelici es acuminis, ac nitoris, linguis non hominum loqui possem, sed Angelorum. Veruntamen Adam sapio, Adámq; gesto; & ab Adam, etsi non eo, qui omnium hominum fuit caput, incipiam.

Adam Puczen de Ovvobach viuebat anno Domini quintodecimo post millesimum quadringentesimum. Scripsit de fide catholica librum unum, cuius initium est [Funiculus triplex difficilè rumpitur] & sermones aliquot, præsertim De laudibus Beatæ Virginis. Habentur Ratisponæ in bibliotheca nostra manuscripti.

Agriæ in Hungaria monasterium fuisse tituli Sancti Nicolai,

cuius prioratum Matthæus de Crisio, Prouincialis Hungariæ, anno quadringentesimo nonagesimo octauo supra millesimum, administrabat, habetur ex literis Capituli Agriensis, eiusdẽ anni, seruatis Brunæ in archiuo nostro.

Alba, vide Aqua alba.

Alshemense monasterium in dominio Comitis Palatini, ad Rheni Prouincialem pertinens, hæreticismo populante clerum, oppletur laicis: qua clade penè ipsum monachatus nomen in eo Palatinatu interijt.

Andreas Bysman, Brunensis, nascitur anno millesimo quadringentesimo tricesimo quarto. Audit in rethoricis Ioannem Serram, Iacobi Publicij competitorem. Fit Magister gymnasij nostri Tholosani anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo octauo. Tum Lector in theologia, & Baccalaureus. Præsidet loco Generalis in conuentu prouinciali Bauariæ in Ramsau anno millesimo quadringentesimo septuagesimo secundo. Sequenti verò Viennæ Austriæ, in congregatione Patrum, eligitur Prouincialis, & munus exercet usque ad annum millesimum quadringentesimum octogesimum secundum. Quo tempore, Prothasio de Zernohora, Episcopo Olomucense, postulante, Episcopus Nicopolensis, & Suffraganeus Olomucensis consecratur Romæ septimo Julij. Moritur anno millesimo quingentesimo primo, ab Episcopatu undeuicesimo, ab ortu sexagesimo septimo; & Brunæ in ecclesia nostra sepelitur. Successerat Villielmo nostro: qui duo monachi annos prope sexaginta Suffraganeatum illum tenuêre laudatissimi.

Andreas Proles, Saxo, scismaticus, anno quadringentesimo octogesimo primo supra millesimum est Vicarius generalis Congregationis reformatæ, ut nuncupabant, Alemaniæ. Huius opera usum fuisse Ioannem ex Salhusiorum

rum familia, Episcopum Misnensem circa annum millesimum quingentesimum in emendandis libris ecclesiasticis scribunt Saxones: eiúsque eruditionem, ac pietatem multis nominibus commendant. Suspiciosa laus ab aduersarijs. Sed esto: optassem in eo perseuerantiam: qui denique spiritu vertiginis actus, & ad omnem dementati hominis volubilitatem rotundatus, seditionis semina, ab initio illius seculi sata, non sole coxit, sed ignibus: ita ut per secularem ætatem diuturno fætu turgentia, in portentosos postmodum fructus hæresum detestandarum eruperint: hæc enim est scismatis proles, hæresis.

Anglibergense monasterium, quondam Prouinciæ Rheni, & Sueuiæ, cum alijs in Ducatu Wirtembergensi profanatum.

Anselmus, Episcopus Budensis in Hungaria, claret anno millesimo ducentesimo octogesimo quinto, quo indulgentias concedit pro monasterio nostro Sancti Thomæ, Pragensi, infra eiusdem fundationis exordium: ubi diploma originale inspexi. Hunc Incelerius, eiusdem nostri Ordinis, præcesserat.

Antonius Kerbekius Louaniensis, doctor theologus ex Collegio Moguntino, quadragesimales conciones Italicas Panicarolæ Latinas reddidit, quas, impressas Moguntiæ, vidimus. Scripsit & dialogismos multos controuersiarum theologalium nondum cusos, & quædam alia, tum physica, tum polytica. Magistratum prouincialem gessit Bauariæ nonnullos annos: cænobia auctu magno affecit: Padense, elapsum ab Ordine, restituit: fouit studia literarum: &, quod primum erat, ad suas leges cultum ecclesiasticum, domesticámq; œconomiam reuocauit: ad omnia idoneus, ad censuram cummaximè. Viuit hoc ipso anno, quo scribimus, Prior Moguntiæ, senex constantis animi,

 & utri-

& utriusq; temporis particeps. Sed regium eſt, inquit Antiſthenes, cùm feceris benè, audire malè. Quis mortalium adeo benè meritus eſt de Romana Rep: ut Scipio, qui ſubacta Carthagine, Africam Latino imperio ſubiugauit? Is nihilominus à ſuis ipſis ciuibus iuſſus dicere cauſam, ſpontaneo, perpetuóq; exilio indelebilem ingratitudinis notam inuſſit patriæ.

Antuerpienſe cœnobium ob Iacobi Præpoſiti, ac Fratrum, ei adhærentium, Lutheraniſmum, ſolo deletum eſſe anno milleſimo quingenteſimo viceſimo quinto, iuſſu Adriani Pontificis, notat Cratepolius: ſed Adrianus Sextus fuit creatus Pontifex anno milleſimo quingenteſimo viceſimo ſecundo, tertio Kalendas Septembres, &, vix annum complens, terminauit ætatem ſuam octauo Kalendas Octobres, cui ſucceſſit Clemens Septimus. Ergo vel calcographo reuocanda eſt nota numeri, vel Cratepolio nomen Pontificis. Niſi, quod Adrianus fortè mandarat, Clementis tempore factum dicamus. Quæ verò Cratepolium de hoc cœnobio æquiuocatio tenuit, alio loco animaduertam.

Aqua alba, vide Biela.

Argentinenſe monaſterium, Thoma Generali, doctore erudito, inſigne adhuc, tametſi ademptum. Hic & in alijs urbibus monachos, præ cęteris noſtros, parentes interdicto Clementis Sexti in Ludouicũ Bauarum, ab anno milleſimo tricenteſimo quadrageſimo ſexto, ac deinceps per annos ſeptendecim à cantu prorſus abſtinuiſſe ferunt Paralipomena rerum memorabilium, adiecta chronico Conradi Abbatis Vrſpergenſis.

Auguſtini Anconitani, licèt Itali, commentarium tamen in Matthæũ legi Monachij, cuius thema eſt [Cùm quietum ſilentium tenerent omnia] Initium verò [Durus debellator

in me-

in mediam terram exterminij prosiliuit] Desiderat prælum.

Augustini Rudolphi Saxonis ad poësim promptitudo tanta erat, ut vicena, atq; etiam plura ex improuiso formare carmina ad proposita argumenta, nullo interim emendato pede, ut solet, eum videremus. Recens ad catholicam religionem conuersus, ac mysta factus, perpetuo exercetur certamine ab osoribus fidei. Quæris modò undenam tanta hæreticorum turba? rusticitas populi, facilitas fæminarum, iuuentæ leuitas, atque simplicitas, uno spiritu perditissimi hominis terretur facilè, & à recto salutis tramite vel retinetur, vel reuocatur. Facit & pudor partes suas: consanguineorum amor, atque affinium, quo nil dulcius carni, clauus est, quo fixi, non manu, aut pede, sed corde manent immobiliter homines. Referam vel partem unius ad me elegiæ, qua & illius musam, & eiusdem cum aduersantibus luctam cognoscas. Nosti Licentium Augustini? eccum: ingenio non inæqualem, pietate maiorem.

[Pauper musarum cultor, dignissime Præsul,
Tristibus hæc elegis verba ferenda dedit.
Supplicis ut spernas Fratris pia vota, precésque
Non est durities pectoris illa tui.
Justa querar, forsan nil proficientia fundam,
Nubibus & Zephyri verba caduca feram.
Integritas, pietas tua me solatur, & auget
Spem, mecum meliùs quæ fore semper, ait.
Percipe, quæso, meas Pater æqua mente querelas,
Quas imo fundam pectore, da veniam.
Heu grauiùs tacitis mens carpitur anxia curis,
Est verè grauior proxima quæque dies.
Hic, cur Lutheri num dogmata sponte relinquam?
Sponte mea monachus cur, rogat ille siem?

Eructant

Eructant in me populares scommata dura,
 Atque minis sæuis aspera dicta crepant.
Sum patiens, redamans cælestia gaudia vitæ,
 Jam cecini, patriæ rura valete meæ.
Vna salus animæ petitur, mihi cætera tellus
 Ad gelidi liquidas contegat Albis aquas.
Sed ne rescîscant, ne defamentur amici
 Tam subitò, mæstus, consule, quid faciam?
Grande nefas, dicent, mutatum corpore, mente,
 Sic temerè patrios deseruisse lares.
Deserui, stygias ne præcipitarer ad undas,
 In quibus est Briareus, Dux gregis, ipse Luther.
Quare contemnens fastosi gaudia mundi,
 Hac sacra volui Relligione frui.
Sed naturalis timor omnes occupat artus,
 Non adeo distant patria rura procul.
Cùm fuerit fama hæc paruam vulgata per urbem,
 Me factum monachum, concutet ossa tremor.
Nam soror occurret matri, mæstissima dicam,
 Quid quæso? frater perditus ille meus.
O utinam nunquam calcasset limina scholæ
 Nostræ, sed vulgi pars rudis una foret.
Factus adhuc monachus? prô quanta infamia nobis
 Exorta est; simus casibus his monitæ.
Illis si reprobi fraus subdola nota Lutheri,
 Quàm lætè canerent, Congratulamur ei.
Quæ ne tam subitò fiant, quo lumina flectam?
 Mœrenti quisnam porriget auxilium?
En Dea, Castalijs quæ maxima præsidet undis,
 Consilio luctus subleuat illa meos.
 Me monuit, &c.
Baden, vide Paden.

Bartho-

Bartholomęus Arnoldi Vsingus,siue de Vssingen,cuius non fuit immemor Pamphilus, decedit Herbipoli in Franconia anno tricesimo secundo post millesimum quingentesimum,& in templo nostro tumulatur, ubi hæc sculpta [Memnosynon religiosi Patris Bartholomæi de Vssingen, theologi integerrimi, Ecclesiæ contra Lutheranos inuicti propugnatoris, hic locatum anno 1532.

IHS MRA.

Anno 1532. quinto Idus Septembris mortem obijt eximius vir Bartholomæus Arnoldi de Vssingen, sacrosanctæ theologiæ, atque Augustinianæ Religionis Professor, acerrimus hac tempestate aduersus Catholicam Ecclesiam sentientes impugnator, cuius anima requiescat in pace. Amen.] In refectorij autem pariete eiusdem monasterij hæc picta sunt carmina:

[Olim me Luther sit præceptore magister,
Fit simul & Frater Relligione mihi.
Deseruit sed ubi documenta fidelia doctor,
Detexi primus falsa docere virum.]

Tum verò [Bartholomæo Arnoldi Vsingo, Augustiniano theologo, Augustinus Marius, theologus, doctor, Salomensis Episcopus, P. P. P. P. discipulus] Ni fallor; Patri Præstantissimo, Præceptori Peritissimo: siue; Perpetuam Paradisi Pacem Precatur: seu potiùs; Propter Pietatem Pingi Præcepit: vel quid simile. Aiunt, eum docuisse Herphordij,& in logicam, physicam, librósque de anima commentarios, deinde impressos; in theologia verò manuscriptos, posteris reliquisse, quos nondum vidimus, prçter exercitium veteris artis, excusum Basilææ anno millesimo quingentesimo septimo, pridie Kalendas Decembres per Nicolaum Kesler, ciuem Basiliensem. Incipit [Circa principium veteris artis quæritur] Pamphilus horum

rum etiam meminit: De falsis prophetis tam in persona, quàm in doctrina vitandis à fidelibus: De prædicatione Euangelij, quibus scilicet conformiter euangelium debeat prædicari: De cælibatu sacerdotum nouæ legis: & Responsum ad sermonem Langij de matrimonio sacerdotali, quem fecit in nuptijs Culsameri sacerdotis.

Bartholomæus Vrbinas, Italus, cogit hic fieri memoriam sui, cuius Quadragesimale manuscriptum legi Monaci cum indice Augustini Vrbinatis, quod appellationem accepit De pugna spirituali, ut in fine habetur, videlicet [Explicit opusculum De pugna spirituali] Idq; etiam indicat initium operis, hoc est [Quamuis tota vita nostra, dum sumus in hac vita præsenti, in continua pugna sit, iuxta illud, Iob septimo, Militia est vita hominis super terram, tempore quadragesimali in maiori bello positi sumus] Pamphilus verò duo distincta arbitratus est esse opera, De pugna spirituali, & Quadragesimale. Edidit & librum De quatuor virtutibus cardinalibus, quem De quatuor donis nominat Pamphilus: eundémq; ibidem reperi exaratum, qui incipit [Quoniam misericordia & veritas custodiunt regem.]

Basilæa, apud Rauracos, urbs perantiqua, & celebris, monasterio abutitur, quondam Rhenanæ Prouinciæ, in quo generalis conuentus coactus est Ordinis anno quinquagesimo primo supra millesimum tricentesimum, quarto Idus Iunios, sub Thoma Argentinate.

Benatek, Bohemiæ oppidulum, ubi cœnobium MatriDei dicatum notat Hagecius fuisse semel.

Bertoldus, siue [ut Germanicum est, aspirationibus abundare, & consonantibus] Berchtholdus, Ratisponensis, in theologia Magister, circiter annum decimum post millesimum quadringentesimum habuit Viennæ in Austria le-

ćturam insignem super Apocalypsin, quam Ratisponæ scriptam duobus voluminibus in folio, lectionum septem & centum, legi. Primum volumen duodecimo capite terminatur; secundum comprehendit reliqua. Caput operis est [Instantem actum breuissimum tripartita distinctio consummabit] Scripsit doctrina solida, stylo vetusto sermone scholastico. Adiunxit his quæstiones arduas, Vtrum Christus omnem sanguinem, qui de corpore suo effluxit, in eodem corpore hora resurrectionis glorificauit: &, Vtrum efficacia sacramenti baptismi, noxam deleat cuiuslibet peccati: & quædam alia de Wiclefi erroribus. Passus est grauissima tempora, grassantia ad satietatem, ut præcellentibus viris usuuenire solet. Egit prouincialatum Bauariæ, & Hungariæ; quo Rattembergæ in Synodo prouinciali ultrò se abdicauit. Scripsit & alia, de quibus sic Pamphilus [Bertoldus Ratisponensis, philosophus, & theologus, & academiarum Ordinis per Germaniam diligentissimus Regens, scripsit in Magistrum sententiarum, & in libros Aristotelis de anima quæstiones notabiles, quæ in multis bibliothecis Germaniæ componebantur..]

Bertoldus, Comes, dignus est, qui inter Eremitas nostros nomen, locúmq; habeat: ait enim Cratepolius libro De Sanctis Germaniæ [Sanctus Bertholdus, Comes, ex illustri genere, tempore Caroli Magni, qui, ab ipsa adolescentia sua, mundi gaudia uniuersa neglexit, & sacram scripturam diligenter didicit, in monte Ezelio, ubi adhuc sacellum eius habetur, Domino Deo septem annis fideliter, & deuotè seruiuit. Inde in opaco nemore apud fontem, qui Dominæ nostræ fons dicitur, prope Eremitarum cœnobium in Heluetijs, ubi capella Beatæ Mariæ, quam Dominus Deus ipsemet, ut fertur, consecrauit, sibi habitationem

quæsiuit. Multas ibi diabolicas tentationes expertus est, quas tamen diuino, & angelico auxilio superauit. Demum à duobus latronibus, sicut in Missæ officio, quod peregit, ei à Domino reuelatum fuit, interfectus est anno Domini 863. & in monasterio Einsidelensi sepultus, qui multis hactenus miraculis claruit.]

Bialuthy, in Ducatu Prussiæ, quæ Villa alba Latinè, sub Episcopatu Pomasaniensi, Capitaneatus [ut vocant] Dzialdouiensis, à qua urbe duobus distat milliaribus Prutenicis, ædes habet, sacras Diuo Nicolao, ubi Stanislaus Narzinschius, dominus, monasterium instituere cœperat, terrarum, & decimarum dote quadam conscripta, anno sexcentesimo quinto post millesimum, nobis Poloniam visitantibus. Assentitur Prouincia in conuentu, eo anno Casimiriæ habito, fitq; Prior loci Paulus Vitonschius. Vix primis radicibus capillantibus, fundator præcoci morte corripitur.

Biela Bohemicè, Vaisvvasser Germanicè, Aqua alba Latinè, oppidulum non procul à Polna, infra Bohemiam, ubi monasterium Sancto Wenceslao dicatum; de quo Hagecius. Vacat.

Bresta, ciuitas Lithuaniæ, diæcesis Luceoriensis, Bugo flumine nauigabili, arcéq; lateritia, à Casimiro Rege extructa, non mediocriter ad pacem, bellúmq; munita, cœnobio illustratur, à Witoldo, magno Lithuanorum Duce, ad honorem Sanctissimæ Trinitatis munificentissimè fundato, cuius literas, datas in noua Troki anno millesimo tricentesimo octogesimo, Cracouiæ legimus, confirmationi Alexandri Regis Poloniæ insertas anno millesimo quingentesimo secundo. Templum tamen, ut monasterium, natura gentis, ligneum, extráq; urbem: quocirca non rarò Tartarorum ignes admisit. Redditus autem habet,

pia

pia fundatoris liberalitate, ad multorum Fratrum ſuſtentationem ſufficientes. Quare ut gregalium Prouinciæ locorum paupertati condonetur, more receptum eſt, legéq; cautum, ut inde ſui magiſtratus, diſperſarúmq; viſitationum onera diſpendioſa Prior Prouincialis leuet: quo etiam in loco olim reſidere ſolebat; nunc Cracouiæ, ubi Regia, & negotiorum omnium officina: quemadmodum definitum eſt in cætu prouinciali, Caſimiriæ, anno quinto ultra milleſimum ſexcenteſimum. Quòd verò ligneum monaſterium dixi, neque illud ſolum, neq; hoc nouum, ubi & urbes non infimi nominis ligneas habent ædes ſplendidiores. Nullum planè hic, aut vix quidem ullum patrio, candidóq; incruſtaret marmore parietem ambitioſum Mamurra; nullis atria ſolidis, integríſq; columnis nobilitaret; niſi fortè & huc ſua & Ocha monte Caryſtus, ſuauè Luna ex Etruriæ ora fœnore magno inueheret. Idipſum propè accidit Maſouiæ, Ruſſiæ, atque adiacentibus plagis, quod & Poloniæ. Tanta enim eſt huius imprimis regionis planities, ut vix, quà montoſa eſt, lapideſcat: dictámq; Poloniam à pola, id eſt planitie, putent non pauci. Siue, quòd plebs [adeo difficile eſt degenerare à ſemine] nulla temporum, Regúmq; varietate originem ſuam dediſcere omnino potuit: Slauini enim, â quibus Polonos deriuare una omnium hiſtoricorum ſententia eſt, vitam [ut refert Procopius libro tertio De bello Gothorum] incultam, neglectámq; ducunt; incommoda quædam tuguria longo ab inuicem interuallo habitant; & ſinguli, domicilij locum ſæpè mutant; unde Spori à Græcis nominati: nec ab uno aliquo regebantur, ſed plebæa, communíq; libertate viuebant. Qua de re nonnulli Polonos non à pola, ut planitie, dictos; neque Polachos, veluti à Lecho Slauo progenitos; ſed à polo, ut eos, qui ſub dio, nudóq; polo pernoctare gaudeant, cognominatos. Siue ab ipſa agricolatione fæcunda:

da: unde ego,ubi ſitum eius non oſcitanter obſeruaſſem, vocabuli affinitatem ſequens [quandoquidem nomina,ut plurimum,ſequuntur naturam rei] Poloniam,quaſi coloniam appellaui,& Polonos: non quales faciebant Romani,ſed quales facit uſus naturæ. Nam ſi aliorum fructuum magna ex parte, ob inclementiam cœli, terra auara eſt,& ſterilis; culturæ tamen aptiſſima, frugibus ad miraculum uſque abundat. Itaque interrogatus non ſemel, quid ſibi pro rebus, vitæ neceſſarijs,in ea climata ituro ferendum, reſpondere ſolebam, Cubiculum: ſiquidem & gurguſtiola in illis informibus,latiſſimiſq; terrarum ſpatijs ſuauiſſima ſunt. At de Polonia ſat Vapouius,& Cromerus. Ipſe verò duo imprimis comperi in laicis, duo in monachis: in illis bellicum robur,quòd, ad omnia incommoda occallati, ferocire ab incunabulis didicerint, & propè ipſis vim inferre fulminibus; & quòd in ærato pectore tanta ſimul pietate molliatur animus, ut profeſtis quoque diebus concurrant ad templa turmatim; & ad ſacræ hoſtiæ eleuationem procumbentes, potiùs humiliari ſatagant, quàm intueri; in monachis autem paupertatem ſummam,&in tanta paupertate patientiam admirandam.

Bruna,urbs Morauiæ, diœceſis Olomucenſis, Olomucio ſpecie,nobilitate,ac magnitudine proxima; vino,frugibúſq; diues,monaſterio decoratur SanctiThomæ,inter aggeres, & mœnia ſito; à Ioanne Marchione Morauiæ, autoritate Innocentij Sexti, & conſenſu Ioannis, Epiſcopi Olomucenſis,ſumptoſè non minùs,quàm piè, anno tricenteſimo quinquageſimo ſexto poſt milleſimum ad honorem Diuæ Mariæ ab Annunciatione, & Beati Thomæ Apoſtoli fundato: atque à Gebicenſi in Morauia ſeptem; à Viennis in Auſtria geminatis milliarijs gentilitijs diſſito. Margarita, fundatoris coniux,& Jodocus,Procopiúſq; filij, il-

la in

la in sacello Gloriosissimæ Virginis, hi ante altare maius sepeliuntur. | Priores,ob pręstantiam monasterij,ferè semper Vicarij erant prouinciales Districtus[ut distinguebant]Morauiæ: quo olim modo Germaniæ uniuersæ superioris, Poloniæ,Pannonięq; ad Liburniam usque in unum tandem Prouinciæ latissimæ Antistitem coibant; pręter Thuringiam,& Saxoniam, sed & Hungarica monasteria,cum florebant,suum habebant Priorem Prouincialem. Eligebantur tamen, ut & Priores alij ante constitutionum Ordinis postremam castigationem,sic Brunenses, à Patribus conuentus: atque ad diffinitorium prouinciale confirmandi deferebantur,penes quod summa erat, & arbitrium liberum. Cœperunt modò Brunenses à Marchionibus Morauiæ, qua nunc Reges Bohemiæ, Archiduces Austriæ, potiuntur, perpetuum confirmari, & à Romano Pontifice creari Protonotarij: quod,ut in Ordine nostro insuetum, specioso nomine prioratum illum affecit, viámq; strauit ad dignitates multò ampliores. Fulciunt opes nomen,etsi ultra dimidium à prima fundatione,peruersitate temporum diminutæ.Fama eadem. Prodierunt inde egregij Patres,Villielmus, & Andreas Bysman,Suffraganei Olomucenses,humati ibidem. Ipsa verò basilica præter capita Sanctarum virginum Scholasticæ, & Agnetis,aliásq; reliquias,locupletatur deuotissima imagine Matris Dei, multis celebrata miraculis, quam à Luca Euangelista fuisse depictam, una est omnium vox, & pleraque in hoc extant testimonia. Meminerunt eiusdem sancti pictoris in suis diplomatibus indulgentiarum Wenceslaus Patriarcha Antiochenus, & Ioannes Episcopus Lubicensis anno millesimo quadringentesimo quinto: Landulphus Cardinalis in Carcere Tulliano, anno millesimo quadringentesimo nono: & Villielmus Episcopus Nicopolensis anno millesimo quadringentesimo quadragesimo tertio,& alij. Vtq;

eò translata fuerit, dixi aliàs, nunc complectar paucis. Theodoricus, Gothorum Rex, Arianus, Erulis, & Odoacre, Zenonis Imperatoris auxilio, ſuperatis, Italiámq;, delicioſiſſimam Europæ partem, adeptus, eò libertatis publicæ iuribus temeratis, Gothicáq; tyrannide Mediolanenſes adegit, ut hi ad Zenonis ſucceſſorem Anaſtaſium, anno Domini quadringenteſimo nonageſimo tertio, cum multis, iuſtéq; deferrent. Has ob res delegatus eſt ab Anaſtaſio Euſtorgius, qui ſua cùm prudentia, tum pietate rem uniuerſam componeret; quod & fecit. Adeóq; interim eius ſanctitatis, ęquitatiſq; nomen apud eos emicuit, ut ij, Laurentio Epiſcopo vita functo, Euſtorgium in ſuum Epiſcopum poſtularent. Abnuit is verecundè, Legatum, ut venerat, non Epiſcopum, quod non petierat, ſe rediturum dicens ad Cæſarem: eiuſdémque voluntati, ſi & id imperaſſet, ita ad Epiſcopatum, ut ad Legationem, humiliter pariturum. Gratulatur Imperator regredienti, neque illum epiſcopari aſſentitur ſolùm, ſed & permittit eidem, ut de auguſto ſacrario quiduis, pietatis arbitrio, ſecum Mediolanum tollat. Qui præter alias Diuorum reliquias, trium felicium Regum orientalium, qui Chriſtum natum, ſtella comite, adorarunt, corpora veneranda, à Conſtantino Magno eò translata, imaginémq; Mariæ Virginis, filium geſtantis, à Luca depictam, eligens, Genuam nauigauit, Mediolanúmq; ſolenni ritu introductus, allatas ſecum ſacras reliquias, iconémq; virgineam, in ſuburbij ædibus, Euſtorgio martyri dicatis, quanta potuit reuerentia, condidit. At Fridericus Primus anno centeſimo ſexageſimo ſecundo poſt milleſimum, eam urbem ſecunda obſidione adeptus, fidem, quam à ciuibus non ſemel violatam dicebat, grauiſſimè ulturus, illam exercitui quaquauerſum expilandam, delendámq; ad veſtigium uſque, ſuffuſo ſale commiſit. Diuas autem reliquias, inter quas Magorum corpora, & Ma-

riæ

riæ imago, haud multò ante à ciuibus in urbem, metu militum, importatas, distribuens, ad Rainoldum, seu Reginoldum, Archiepiscopum Coloniensem, Regum beatorum corpora; ad Wladislaum, Regem Bohemiæ, per Theobaldum, fratrem eius, qui bello interfuerat, iconem Virginis immaculatæ, partémq; candelabri, augustissimi templi Salomonis; ad alios alia dono misit. Anno verò millesimo tricentesimo quinquagesimo sexto Ioannes Marchio Morauus cœnobium Brunæ, ipsi Dei Genitrici à primo lapide erigens, huiúsq; pium prętiosæ imaginis munus, quæ Pragæ adhuc seruabatur, à Carolo Quarto, fratre suo, lætus accipiens, singulare ei sacellum infra eandem monasterij basilicam struxit: instituens ibi sacrum quotidie ad laudem Diuæ Virginis concinendum. Auxit picturæ deuotionem pars pepli eiusdem Virginis cum sanguine, de quibus Ioannes, Episcopus Lubicensis, in suo diplomate indulgentiarum, mentionem facit. Auxit & Iodocus, Romanorum Rex, fundatoris filius, aureo, gemmóq; ornatu. Sed his multò pretiosior credentium fides, religióq; accessit. Inuocatur in periculis; glorificatur miraculis; honoratur indulgentijs; votis cumulatur, & donis. Statis verò diebus magno populorum concursu reuelata, omniúmq; oculos in se veneranda colligens, excipiebat pijssima inuocationes, & corda oblata fidelium: qua occasione & Landulphus Cardinalis suas perpetuum indulgentias erogauit. Eóq; sacro ritu efferri clericali pompa per urbem, & à populo in calamitatibus, arduísque negotijs implorari, illósq; illa misericorditer exaudire solebat. Hærent etiamnum animæ intuentium, sacris euocatæ coloribus: trahitur spiritus ad ingenuæ pulchritudinis simulacrum; & per eius, tanquam per sciatericon, splendidissimos eius speciei soles enumerat. Iidem ibi colores suffusi, eadem linearum, ac partium symmetria, quæ in tabula

ecclesiæ nostræ Sanctæ Mariæ à Populo in Vrbe, quam & à Luca depictam, eóque per Gregorium Nonum translatam ferunt. Duo vultus, unus vultus, ab uno vultu. Vnus in utrisque decor, unus spiritus, fulgor unus. Ad Flaminiam portam Romana; extra portam Brunensis imago: illa ubi Neronis ossa, acta dæmonibus, vexabant populum; hæc ubi infidelis impietas, ut in cardine regionis, urgebat ad flagitia Morauos.

Casimiria, præurbs Cracouiæ, anno millesimo tricentesimo quadragesimo sexto mœnibus succingitur, & monasterijs coronatur. Quod factum Cromerus libro duodecimo de rebus Polonorum, his fermè recenset. Cùm sacrilegi quidam vasculum cum sacro Christi Corpore è templo omnium Diuorum cultui dicato, furati essent, ferculúmq; nõ aureum (ut credebant) sed æneum, deauratum comperissent, illud apud Bubalum, suburbiũ ditionis Collegij basilicæ Cracouiensis, in cœnosam paludem, unâ cum hostia sancta abiecerunt impiè. Mox locus exarsit ignibus crebris, faculísq; dies, noctésq; lustratus, effecit, ut Ioannes Grothus, Episcopus Cracouiensis, post triduanũm indictũ ieiunium, eò ad rem perscrutandam cum clero, & populo frequentissimo pontificialiter se conferret. Repertúmq; sacratissimum Christi Corpus, ad templum, unde sublatum fuerat, retulit. Quare Casimirus, Poloniæ Rex, sequẽti anno templum in honorem Corporis Christi ibidem ex cocto latere ædificauit: successúq; temporis peramplum spatium muro complexus, nouum inde oppidum conflauit, & Casimiriam suo nomine appellauit: ubi monasterium etiam nostrum ad honorem Sanctarum Catharinæ, & Margaritæ erexit, atq; fundauit. Absuntóq; priori conflagrationibus priuilegio, alterum edidit confirmationis, quod ibidem legi, datum Cracouiæ anno millesimo tricentesimo sexagesimo tertio.

Catha-

Catharinæ eidem beatæ virgini, aliæ in eo ambitu ſacratæ ædes monialium tertij (ut vocant) Ordinis, è regione conuentus noſtri, Simone Mniſeuio Prouinciale dirigente, & Spirito Vincentino Generale, iuxta moderamen Iulij Secundi, concedente, anno octogeſimo tertio poſt milleſimum quingenteſimum, inſtituuntur: quarum prima matriarcha Soror Catharina Klobusko. Recipiunt toleranter leges aliquot, in diffinitorio prouinciali latas ſexennio pòſt, & à Georgio Cardinale Radziuil, Epiſcopatus Cracouienſis adminiſtratore, Gregorio Lanczkauski Prouinciale, anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſexto ſub Ordinis cura, obedientia, & priuilegijs confirmantur. Quam verò viuendi formam, primo Ordini propinquiorem, in viſitatione noſtra, anno quinto poſt milleſimum ſexcenteſimū, promptè regeſſerint, ex actis comitialibus in Hiſtoriam magnam ad numerum comportauimus.

Cecanouia, oppidum Ducatus Maſouiæ, diœceſis Plocenſis, à Varſauia duodecim diſterminatum eius gentis milliaribus, ubi monaſterium extructum trabibus, templum ex fabrica cęmentaria. Huius fundatio ſic ſe habet. Sammouitus Dux cupiens, quantum in eo erat, Chriſtianam fidem non ſtabilire ſolùm, ſed & propagare in ſuo dominio, Lithuanis, Ruthenísq; contermino, ſupplicauit Innocentio Sexto, ut noſtris monachis, quorum probatæ vitæ exemplum erat percelebre [Samouitica hęc laus eſt] tria in ſuo Ducatu cœnobia poſſet erigere: Rauæ unum, in honorem Corporis Chriſti, Deiparę Virginis, & Sanctæ Hedeluigis: Varſauię alterum ad gloriam Spiritus Sancti, Diui Martini, atque Beatę Dorotheę; tertium verò alio in loco ditionis ſuæ, ubi liberet; quod poſtea Cecanouię excitauit. Quamobrem etiam Caroli Cęſaris interceſſionem apud Summum Pontificem interpoſuit. Cuius conceſſionis

bullam Casimirię apud nostros vidi, datam in Villanoua Auenionensi, Pontificatus anno quarto. Dicto audiunt Masouica monasteria unius Prouincialis Poloniæ.

Chrumlovv, siue Chrumpnavv, urbs in Morauia, diœcesis Olomucensis, ubi Czenko de Lypa, summus Marescialllus, & primus Camerarius regni Bohemię, dominus eiusdem urbis, monasterium fundauit ad cultum venerabilis Corporis Christi, & Beati Bartholomęi circiter annum quinquagesimum quintum supra millesimum tricentesimum: cum ad omne pręiudicium submouendum, quo noua eiusdem sacrę ędis plantatio esse potuisset unquam, multa parochiali ecclesię, hospitióq; Cruciferorum Ordinis, dono dedit. Sequenti anno Chrumnauensibus, ne quasuis legationes, donationesué, monasterio factas, aut faciendas, impediant, daturi pœnas, imperat; Conrado interim, & Elisabetha coniuge hortum, vineámque cœnobio conferentibus. Biennio pòst, piscationem in piscinis suis, & in Rotygel fluuio concedit. Anno autem millesimo tricentesimo sexagesimo curiam in villa Dobelicz, atq; vineam in montibus Spanicz cum pascuis, ac pratis dono cedit: & tertio dein anno syluam de Vreynualt: quo tempore ipse moritur, & in eo claustro humatur. Henricus de Lypa, nepos, censum perpetuum sesquimarcæ pro lampade stabilit. Nicolaus Prior, Ambrosius Ædit????????, Hodkon Procurator, Theodoricus, & conuentuales cæteri emunt censum annuum modiorum duûm silignis ab Hartungo de Weincenrid super eiusdem moletrinam in villa Rubtziz ad Iglauiæ aquas. Anno millesimo tricentesimo octogesimo primo Henricus de Lypa censum marcarum quatuor super villam Nassmericz imponit, denátq; conuentui. Biennio pòst Benessius de Cravvary regiæ Cameræ Magister Ioanni Propscil vendit censum marcarum totidem,

dem, & poſt quadriennium eidem Priori marcarum trium: qui & piſtrinum ſequenti anno emit ſub villa Doplecz [ſi nominis affinitas me non fallit, eandem hanc eſſe arbitror cum Dobelicz] confirmante dicto Henrico: cuius uxor Offka anno milleſimo tricenteſimo octogeſimo ſecundo tres quotannis ſoluendas monachis marcas teſtamento legauerat. Horum authographa Brunæ legi, & hic ſummatim expoſui. Magnopere enim in cœnobiorum amiſſorum inquiſitione conducit hiſtoriæ, certa rerum, actorum, locorum, temporum, hominúmque cognitio: in alijs verò, quæ iam nunc poſſidentur, legata, prædia, cenſus, & huiuſcemodi, ſcripto repetere, non hiſtoriæ eſt, ſed archiui, & perinde, ac notariorum publicorum more, protocola in macrocola, moleſta æquè ſcriptione, ac lectione traducere. Annum autem, quo Chrumnauenſe amittitur, non ſum ad hanc diem aſſecutus. Vigebat adhuc anno viceſimo primo à milleſimo quadringenteſimo, ut ex inſtrumento venditionis duarum ſexagenarum accepi, in quo nominantur Nicolaus Svvouczar Prior, Ioannes Druholcz Ædituus, Paulus Paganus Procurator, Paulus Sartorius Prædicator, & Wenceſlaus Cantor.

Chulmanus, omnium opinione, & fama beatus, in æde ſacra Ioannis Baptiſtæ monaſterij noſtri Piuonienſis in Bohemia humiliter conditus, piè colitur: quem ſiqui non regularem fuiſſe Eremitam contenderent, hoc uno eos conuincerem argumento, quòd noſtro in loco, ut Eremita ex noſtris, ſepeliatur. Neq; enim eius ſum aut affectationis, aut leuitatis, ut quoſcunq; nominari eremitas audiam, ſiue legam, eos confeſtim meos monachos fuiſſe, eſſeué dicam. Liquet enim nos lege Pontificia, ſecundum mentem, & appellationem fundatoris, dictos, ac declaratos Eremitas, non abſolutè, ſed Ordinis Sancti Auguſtini. Ali-

oqui & Franciſcus Petrarcha diceretur monachus noſter, de quo ſcribitur in Faſciculo temporum, quòd poëta fuerit, & eremita: quo, rogo te, quid vanius? Sanè ambitioſis, pinguibúsque mendacijs imbuere ſententias, etſi tonet quis, blateronum more, verbis prægrandibus, non eſt hiſtoriam ditare, illuſtrare, euehere; ſed & ipſam, ubicunque reperiatur, veritatem ſuffocare, fœdare, peſſundare. Magis placet hiſtoriæ, ſi dicas, nullum adhuc fuiſſe Papam ex Ordine Auguſtini Eremitano, quàm ſi dicam Gelaſium, Auguſtini Auditorem, imò etiam Canonicum regularem, qui eiuſmodi Ordinem in Lateranum introduxit, fuiſſe ex eo. Ecquoſnam Eremicolas Fratres inuexit Romam Gelaſius? quam in partem? quo anno? qua, digna fide, hiſtoria? Cauendum utiq; hoc, & tantò magis, quantò in beatis, ſummíſq; viris. Onuphrius Panuinius, qui & in corruptis fuit hiſtoricæ veritatis aſſertor, & noſtri eiuſdem Ordinis profeſſor ſtudioſiſſimus, in ſuo chronico Pontificum Romanorum, quinquageſima Pontificum ſucceſſione, anno Chriſti quadringenteſimo nonageſimo ſecundo, hæc tantùm de Gelaſio [Sanctus Gelaſius, Valerij Epiſcopi filius, Afer, Imp. Cæſ. Fl. Anaſtaſio, Dicoro Auguſto, & Fl. Theodorico Amalo Gothorum in Italia Rege, ſedit annos quatuor, menſes octo, dies nouendecim] Concordat Platina in omnibus, præterquam in diebus pontificatus, ponens dies ſeptendecim ultra menſes octo, & annos quatuor: ſed ſi excluſiuè ſumamus dies nouendecim Panuinij, inueniemus profectò concordare cum ſeptendecim incluſiuè Platinæ. Licèt & hoc in diſputationem referri poſſet, fueritné Gelaſius verè Afer, an Romanus veriùs; cùm is tomo primo epiſtolarum Romanorum Pontificum, epiſtola decima, ſcribens ad Anaſtaſium Cæſarem, dicat [Glorioſe fili, te, ſicut Romanus natus, Romanorum Principem amo, colo, ſuſpicio] Quem locum exponens Baronius

tomo

tomo quinto ſuorum Annalium ſub annum Chriſti 492. numero ſexto, dicit ad eundem modum debere intelligi, quemadmodum illum Actorum viceſimo ſecundo : in quo Paulus ſe Romanum natum aſſeuerat, etſi ortu Tarſenſis reuerâ eſſet, ut is ipſe in eodem capite antè declarauerat : ſic namq; ait Baronius [Verùm cùm Africanus fuerit, multis rationibus potuit dici Romanus ciuis natus, ſicut & Paulus, Tarſenſis cùm eſſet, ſe ciuem Romanum natum gloriatur] Sed ſi verba Gelaſij ponderemus, vim facientes in aduerbio ſicut, vel in verbo ſubintellecto, patebit ad literam ſenſus abſque ulla figurata loquutione. Scilicet ſi ſumatur ſicut pro tanquam, & ſuppleatur eſſem ; id eſt, Tanquam eſſem Romanus natus. Non enim dicit Gelaſius, ſicut Romanus natus ſum, ſed ſuppreſſo verbo, & verbi tempore, abſolutè dicit, Sicut Romanus natus, ac ſi diceret, quaſi & ego eſſem natus Romæ, & unus eſſem ex Romanis ciuibus, te ita amo Romanum Principem. Quid autem alij non inferioris autoritatis, fideiq; ſcriptores de Gelaſio poſteris memoriæ commiſerint, explicabit Hiſtoria magna. Vnum illud nunc, Gelaſium non fuiſſe monachum Eremitam. Cur (oro te) Patres noſtri, eccleſiaſtici cultus obſeruantiſſimi, ac ſui Ordinis amantiſſimi, cum ſuos Sanctos ſpeciali cultu, atq; officio religioſiſſimè ſemper venerati ſint, per undecim ſecula, & ultra, proſcripſerunt à ſuo Kalendario ad hanc uſq; diem Gelaſium ? Num non Sanctum ? imò Sanctiſſimum, eruditiſſimúmq; & inter Sanctorum catalogum omni æuo relatum. Num ignotum ? Sed ubi latuit per tot ætates Pontifex ſummus ? Quid dicendum, ubi canonica lectio uniuerſalis eccleſiæ refragatur ? De Sancto Gallo legitur in Romano martyrologio ſub decimo ſeptimo Kal. Nouembris [Apud Arbonam in Germania Sancti Galli Abbatis, diſcipuli Sancti Columbani] Et apud Trithemium libro tertio de viris illuſtri-

bus

bus Ordinis Sancti Benedicti, capite vicesimo quarto [Gallus ex monacho Chrononensis cœnobij Episcopus Auernorum, vir tantæ sanctitatis extitit, ut multis & in vita, & post mortem miraculis legatur claruisse] Quem autorem Baronius sequitur in suis notationibus in Romanum martyrologium, de eodem Sancto agens die sextodecimo Octobris; præter errorem calculi, nam pro vicesimo quarto capite ponitur numerus septuagesimus sextus. De ipso verò Sancto Columbano habetur item in martyrologio sub undecimo Kalendas Decembris [In monasterio Bobiensi depositio Sancti Columbani Abbatis, qui multorum cœnobiorum fundator, plurimorum monachorum extitit pater] De quo idem Trithemius in eodem opere de viris illustribus libro secundo, capite quinto ait [Columbanus fundator, & primus Abbas Luxouiensis, natione Scotus, vir meriti, & sanctitatis eximiæ, multos pro Christo sustinens labores, cum adhuc in Hybernia adolescens degeret in monasterio, tantum in scripturis studendo profecit, ut non contemnenda opuscula ediderit] & post pauca sic finit [Construxit multa cœnobia tam in nostris regionibus, quàm in Hybernia. Claruit anno Domini sexcentesimo] & libro tertio, capite vicesimo sexto manifestiùs ait [Columbanus Abbas, & pater multorum monachorum, de Hibernia veniens in Burgundiam, permittense Rege Theodorico, monasterium Luxouiense fundauit, ubi Fratres secundum regulam Sancti Patris Benedicti viuere docuit] Eundémque Trithemium Baronius in dictis suis notationibus admittit sub die vicesimo secundo Nouembris. Mitto nunc alios, & eos quoque Abbates. Qua ergo scientia, aut conscientia tot magnificas Abbatias in Eremitica Augustini claustra clausis oculis quidam adigunt? An gloriabundi de tantorum Abbatum sanctitudine? O si tam promptè, tam accuratè eam imitaremur, quantò solidior esset glo-

ſet gloriatio noſtra? Non deſunt nobis viri ex noſtris ſanctiſſimi, quos laudemus: & ſi unum haberemus Auguſtinum, is ſatis eſſet: Auguſtinum, quem & aduerſarij reuerentur, & celebrant: quem ipſe idem Lutherus appellat doctorem ſuper omnes doctores, cui parem iam inde ab Apoſtolis non habuerit Eccleſia. Quòd fuerit Ioannes Hofmaiſterus vir certè pius; & pro orthodoxa Eccleſia prædicando, & ſcribendo certarit, fateor; num propterea eum ſtatim Beatorum choris aſſociarunt, neſcio qui? Quòd is æterna potiatur modò felicitate, ſpero equidem: ut eum pro Beato habeam; ut ijs eum proſequar honoribus, quibus Sanctos, hoc nondum mater declarauit Eccleſia. Non ita in re tam graui, tam ſancta, tam publica, ſcriptori eccleſiaſtico blaterandum. Atqui hoc lucrifaciunt mendaces ſecundum Ariſtotelem, ut ijſdem tum vera dicentibus, non credatur.

Cornauburgenſe monaſterium in Auſtria, non procul à Vienna, dictum ab eccleſiæ titulo Domus ſancta, ditatur indulgentijs pro ſumptibus ædificij à Ioanne Cardinalè Sancti Angeli, Apoſtolicæ Sedis per Germaniam Legato, anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſeptimo, die undecimo Nouembris: quarum literas, Patauij datas, vidi Viennæ. Tunc monaſterium ſi non primùm excitatum, fortaſſis inſtauratum. Anno milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo quarto ſuas addit indulgentias Rudolphus, epiſcopus Lauentinus, Legatus item Apoſtolicus per Alemaniam, eiuſdémq; inducit fabricæ rationem. Anno milleſimo quingenteſimo triceſimo nono, decimo Kalendas Maias Patres Viennenſes, & Diſtrictus Auſtriæ, dantes literas ad prouincialem conuentum, Ratiſponæ congregatum, eiúsq; nomine Diſtrictus mittentes pro Diſcreto Priorem Viennenſem [id enim tunc erat

 moris]

moris] se excusant, quòd non mittant sigilla monasterij Cornauburgensis, cùm is, cui res domestica eiusdem commissa erat, secum tunc temporis non haberet. Occupatur â ciuibus. Videre liceat in Neuburga.

Coronensis monasterij in Morauia in comitijs Prouintiæ anni millesimi quingentesimi tricesimi sexti confirmatur pro Priore Erardus. Hunc vacat.

Cracouia, diximus in Casimiria.

Crasnostauia, siue lingua gentis Krasnystavv, urbs in Ducatu Russiæ, & Districtu Chelmensi, quò & Chelmensis cathedra sub Wladislao, Rege Poloniæ, translata, monasterio decoratur Sanctæ Trinitatis, à Tartaris iterum, atque iterum ustulato. Regia eius fundatio, & antiquitas, scripturis incendio absumptis, ex literis Alexandri Regis Poloni conijciuntur, quas Cracouiæ legi, datas in Lublin, anno millesimo quingentesimo tertio, confirmantis monasterio quatuor annuas sexagenas super Chelmense telonium; asserítque hoc ex antiquo usu, & maiorum suorum dote exhibitum: ipse verò chorum farinæ siligineæ ex suo pistrino Crasnostauiensi singulis sabbatis perpetuùm monasterio donat. Est enim siligineus panis ita usui, ut triticeus apud magnam partem Septentrionalium hominum; apud nos Occidentales non item. Etsi res frumentaria apud Germanos uberrima sit; plerosque tamen ex nobilioribus noui, quibus panis ex siligine est sapidior. Distat Ruthenicum Crasnostauiense à Lithuanico Brestensi cœnobio milliarijs viginti.

Culnbach, habetur inferiùs in Kulembachio, ut proprietatem rerum seruemus genti cum familiaritate literarum, ubi possumus, clauso vado amphibologijs.

Deesvvar, in Hungaria, monasterio fulsit Virginis intemeratæ. Carolus Rex, ut ex singulis salium carris de Desakna in

na in Deesvvar duo sales monachis penderentur, commisit literis, datis prope Turdam in villa Sancti Michaëlis anno millesimo tricentesimo decimo: confirmátque anno millesimo tricentesimo vicesimo quinto, supplicante Ioanne Prouinciale. Idipsum Matthias, Prouinciale Bartholomæo, anno sexagesimo sexto à millesimo quadringentesimo. Dat dono Ioannes florenos annuos quinquaginta aureos de camera Dees, & Matthias Rex, filius, confirmat anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo octauo. Idémq; Princeps Joannes organico monasterij stipendium quotannis decernit, comprobátq;. Matthias anno sexagesimo secundo post millesimum quadringentesimum; & undetricesimo pòst anno Wladislaus. Addidit præterea Matthias monasterio florenos annuos ducentos ex auro, soluendos ex prouentibus cameræ salium de Dees, pro alendorum duodenorum Fratrum ope anno millesimo quadringentesimo octogesimo secundo: & nouennio pòst approbat Wladislaus. Stephanus Chryuula, Camerarius salium de Zolnok legat conuentui piscinam in Comitatu de Doboka in Transyluania circa annum millesimum quingentesimum quintum; quod & Wladislao placuit successori, octauo pòst anno. Fuisse cœnobium hoc, aut idem cum Thordensi, seu Turdensi, aut certè illi in omnibus proximum, deducitur ex eodem titulo monasterij, & ex Regum, temporum, locorúmq; concordantia, atque rerum quarundam concessarum, utì ducentorum florenorum in salibus, Manet nomen.

Domazliczij in Bohemia fuisse quondam monasterium nostrum scribunt Bohemi, quod idem est, quod Tusta.

Eslinga, imperialis urbs in Ducatu Wirtembergico, cœnobium, quondam Prouinciæ Rhenanæ, occupat. Aliter Islinga.

ga. In eo olim ocia literarum, & Patres religione, atque eruditione clari: ſed pietate abacta, exilierunt inde cyniphes, & locuſtæ, Stiphelio ſimiles; de quo in Michaële.

Firſtenfeldenſe monaſterium Sancti Mauritij in Styria, ſex diſtans milliarijs à Græcenſi, erigitur à Patribus noſtris, promotione & ope Rudolphi Archiducis Auſtriæ, anno milleſimo tricenteſimo ſexageſimo ſecundo, quo Ortolfus Archiepiſcopus Salisburgenſis, in cuius diæceſi Firſtenfeld eſt, præſtat aſſenſum, committens Rudolpho Archidiacono Styriæ, Plebanóq; Firſtenfeldenſi, ut rem iuuet. Confirmat Pilgrinus ſucceſſor quinto pòſt anno, & concedit, ut Fratres poſſint per diæceſin Salisburgenſem prædicare, confeſſiones audire, & mendicitatis quæſturam liberè exercere. Dotat ſequenti anno ſpiritualibus indulgentiarum opibus eccleſiam certis quibuſdam feſtis Frater Ortulfus, Archiepiſcopus Appanienſis: dotant opibus temporalibus anno milleſimo quadringenteſimo Nicolaus Riegeſtorffer, Prætor Firſtenfeldenſis, & Margarita, eius coniux, ampliſſimè. Sed hoſtium impetus paſſum eſt ſæpe: quemadmodum anno octogeſimo poſt milleſimum quadringenteſimum feria ſexta poſt feſtum Dominicæ Aſcenſionis, cum Hungaricæ copiæ Matthiæ Regis, combuſto à foribus uſque ad penetralia Firſtenfeldio, etſi mitiùs in hoc agerent cum monaſterio, abſtinentes à flammis, compilarunt tamen illud uſque ad pulueres: & non gentili barbarie, non militari furore, ſed ferocitate tartarea Hainricum Harder Rattembergenſem, Patrem multa veneratione dignum, ſtrangularunt: Auguſtinum Monachienſem, Priorem, cum decem alijs eius Fratribus ſubduxerunt ſecum captiuos in campum, ut hoſtilem prædam, ut venalia Turcarum mancipia: qui, licet Dei manu, ſextodecimo à captiuitate die ſoluti eſ-

ſent,

sent, plerique tamen attriti malis, cadauerúmq; fætoribus infecti, non longè post interierunt, uno tandem superstite Augustino Priore in expilato cœnobio. His enormissimis facinoribus, ac sacrilegijs illustre nomen Hungaricum atrarunt sæpe perditissimi milites. Viget iam monasterium, ut alia pia loca, auspicio Serenissimorum Styriæ Principum catholicorum.

Flumen, Liburniæ oppidum, in Dalmaticis oris, atque Adriaticis, ab allabente flumine dictum, Tarsatti montis, olim virgineis ædibus beati, rigante leniter limbum, deuotionem suam monasterio cumulat Diui Hieronymi, fundato ab Hugone de Tibinò, & à Raimperto de Valsse, capitaneo supra Ens in Austria, à quo literæ fundationis æditæ millesimo quadringentesimo nono. Hi præter decimas, atque alia multa, sacella Sanctorum Martini in finibus Castuæ, & Andreæ, ac Nicolai, martyrísq; Ceciliæ, secus oppidum ipsum Fluminense, cùm ad eos ius gentilitium pertineret, monasterio uniuerunt.

Fridericus Ratisponensis, conuersus humilis, & castus, magna in Deum religione; in Prælatos obedientia; in Fratres obseruantia; in pauperes, infirmósq; charitate præditus, tantum in his diuiuæ gratiæ habuit, ut crebris miraculis diuulgatus, ad nos deuotionem sui, sancta æmulatione transfuderit. Quis omnia? pauca dicam. Ministranti altari, ad cuius ornatum, cultúmq; mirum in modum solebat horas impendere, Angelus de cœlo ei rosas, ipsa in hyeme algentissima, detulit, vel nullo ex rosario natas, vel certè ex illo, nunquam dumoso, unde sibi Beatorum chorus elegantissimas, atque suauitatis inenarrabilis coronas nectit. Præpeditus seruitijs domesticis, inhiánsq; refici sacra synaxi, ne demandatum à suo Præside intermitteret opus, tametsi corde versabatur in templo, corpore

tamen laborabat in lignario: cum Angelus, ne vel distraheret obedientem, neué esurientem negligeret, pane angelico, ab altari allato, in ipso lignario eum communicauit. Felix obedientia, quæ Angelos facit obedienti ministros: felix religio, cui nusquam sacrarium, nusquam sacra, sacerdosué desunt, ubi Christus est omnia. Semel susceptis è penuario panibus, ut eos mendiculis hominibus, more suo, erogaret, Priori ægre ferenti obuius, atque interpellatus, quid ferret, aperto scapulari [ut vocamus, lignorum schidia, & dolaturas, in quas panes erant transfirmati, ostendit: iterúmque reuersus ad pauperes, eis panes, suæ naturæ redditos, qua solebat alacritate distribuit. Ita & Moses transformem virgam, modò in colubrum permutatam, modò iterum in virgam, operante Deo, cernebat. Sedentibus aliàs ad prandium monachis missus semel ad promendam ceruisiam, epistomium zonæ, ne intercideret, fixit; mox præ sollicita obedientia, quò minus diu expectaretur in mensa, dolio nequaquam clauso, reuolauit ad Patres: qui obturaculo in eius latere infra cingulum viso, verentes natare omnia in cellario, descenderunt præcipites, nihílq; interim effluxisse, nec distillasse quidem compererunt; sed velut gelu constrictum consedisse liquorem; urnámq; uti pice obducto orificio, velim dicere nec expirasse. Ecquid illi factu difficile, cuius nutibus ita semel diuidebantur fluctus maris, ut, quasi muri, essent à læua, & dextra filiorum Israël, siccis pedibus, loco aquæ, intercurrentium? Narrat quid simile de conuerso quodam, vini apothecario, & fortè de hoc, Beatus Iordanus libro secundo Vitarum Fratrum, capite tertio, De virtute obedientiæ: aitque, quod is à Priore vocatus, urceum sub cadi fistula ob festinationem derelinquens, operculum, ut hauriendo tenebat, gestauit manu: cúmq; nec emersisse vinum, nec osculum cupæ clausum vidisset Prior, id totum

tum obedientiæ tribuit humilis Fratris, quæ maiora olim miracula apud Patres patrauit antiquos. Ea autem, quæ modica est variatio in Iordano, nil impedit, dum concordat in substantia facti, quin de Friderico id dictum interpretemur. Sin autem, aliàs eidem ita fortasse accidit, aut item alteri, volente Deo, nequicquam refert. Rursus, ægrotanti assistens, & pro eiusdem valetudine orans, sopore leui correptus, angelica reuelatione, & ope incolumitatem eius simul audit, ac videt. Ipse verò diem postremum anno millesimo tricentesimo vicesimo nono pridie Kal: Decembres in Domino claudens, reliquit in cadauere signum, quòd anima migrarat in cœlum: plurimi namq; infirmiorum conuenientium, leni contactu religiosissimi corporis, suspiratam anteà sanitatem confestim (tanti est fides) recuperarunt. Conditur Ratisponæ in eodem nostro sacello mirificissima Corporis Christi, de quo dicam suo loco: muròq; lapis sepulchralis his tantùm verbis [Laicus deuotus in die Sancti Andreæ] Admiranda priscorum Patrum simplicitas, subrustica puritas; sed religiosa simul, ac imitabilis, cui fundamentum sternit humilitas. Nihil de nomine, nullam notam de anno innuunt, arbitrantes, hæc omnia ad posteros continuata memoria, semper viuida, recentíque inflexibiliter transitura: sed neque nomen, neque annus perit eorum, quorum nec capillus de capite perit; & quorum nomina gloriosa angelicis, ne dicam diuinis, caratteribus indebiliter scripta sunt in libro vitæ. Veruntamen anno millesimo quadringentesimo octogesimo primo Conradus Schleier, Prior Ratisponensis, tabulam iconis eius depictam, præfatorúmque miraculorum compendiolis distincto ordine marginatam, eo in loco affixit: quam, ut est, cum suis ipsis Germanicis commmentariolis æri datam, hic subijcio.

Quòd is tunicam induat albam, colobium verò nigrum, pi-

ctoris licentiæ minimè dandum; qui non sciam ideam, quasi parerga picturus, sed Prioris Conradi, qui optimè sui Ordinis vestimenta scire debebat, designationem sequutus est. Sed cùm Augustinensium hæreditarius habitus sit niger, claustralis verò, secundum usum, & deuotionem receptam, albus [ut suis rationibus dissero in Historia magna] facilè tunc conuersi hac bicolori vestiendi forma ad differentiam clericorum in aliqua Prouincia utebantur. Quemadmodum cùm & aliorum quorundam monachorum habitus albus sit, & niger, utrumque illi miscent colorem in conuersis: qui apud nos alibi albis in claustro, sicut clerici, quod fit in Italia; alibi nigris semper tunicis amiciuntur, quod fit in Teutonia: cucullati quidam, quidam verò excuculles: qui omnes tribus votis solennibus, ut clerici, professione inextricabili irretiuntur. Porrò Guilhelmitis Ordini nostro coniunctis, quorum monasterijs Seemanshausensi, & Speciosano interiacet Ratisponense, quæ circum in unam latam conspirabant Prouinciam, inuectam vestium differentiam, conuersis saltem adhæsisse credibile est: siue ad quouis alio modo ex aliorum item eremitarum commistione emersit. Hoc tamen mihi persuadeo, claustralem usum albarum vestium, non ex voto, nescio ad quod suffragium facto, sed ex Guilhelmitarum unione fluxisse, ut eos, qui supersunt in Rhenanis oris aspeximus. Sed de Guilhelmitis controuersia, plena nodis, subtiliùs suo tempore repetenda, comite veritate. Nunc æs vide iconicum Friderici.

Gewicz,

Gevvicz, urbs parua Morauiæ, à Bruna milliaribus ſeptem diſtans gentilitijs, monaſterio nobilitatur Mariæ Virginis. Erectionis literas non legi: anno tamen tricenteſimo ſeptuageſimo à milleſimo emitur villa Rudka, atque viceſimo ſexto pòſt anno villa Byela per Hertuigum Priorem. Augentur cenſus annui per Sulkonem de Radkovv anno milleſimo quadringenteſimo ſecundo, & tertio: atq; per Offkam Iacobi de Opatovvitz decennio pòſt. Manet adhuc; nulláq; cum cœnobio Brunenſi relationem ſubiectionis habens, ſuo iure, ut reliqua uti debet. Quem verò ſuperinduxerunt uſum prælationis, manaſſe inde exploratum eſt, quòd Prior Brunenſis de more olim eſſet Vicarius prouincialis (ut diximus) ſuper Morauica monaſteria:. libera tamen erat penes diffinitorium, & Priorem Prouincialem electio, ut & alios legerimus creatos quandoque Vicarios Morauos.

Gothſchalcus Holen, Lector in theologia peritus, & concionator facundus, ultra Præceptorium diuinæ legis, impreſſum cuius Signinus meminit, quod & Viennæ vidi, compoſuit ſermones ſuper epiſtolas dominicales per annum, in duas partes diſtinctos: hyemalis incipit a prima dominica Aduentus, verbis Apoſtoli [Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere] & continet ſermones ſeptuaginta quatuor: æſtiualis à die paſchatis [Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus] & clauditur ſeptem centúmq; ſermonibus. Scatet opus hiſtorijs, & theologorum, iuriſtarúmque ſententijs. Cuditur in urbe Hagenauenſi anno milleſimo quingenteſimo decimoſeptimo, unâ cum ſermonibus ſexdecim De dedicatione templi. Seruatur apud noſtros Rattembergæ.

Græcium, urbs Styriæ princeps, natura, & arte fortiſſima, in qua Sereniſſimorum Styriæ Ducum ſedes, admitit Fra-

tres nostros anno primo post millesimum sexcentesimum, quo Wolfgangus Theodoricus, Archiepiscopus Salisburgensis sacellum Sancti Pauli cum æde proxima donat Ordini, ut ibi conuentus Fratrum instituatur. Quam eiusdem permissu, antea quoque Patres nostri, seruientes aulæ Archiducali à musicis, incolebant. Erigitur inde ibi cœnobium, auxilio Ferdinandi Archiducis Austriæ Serenissimi, qui triennio pòst dotat etiam illud quingentis florenis annuit. Huius mirifica pietas, in locis sacris, splendidè excitandis; in personis sacris ad sydera euehendis; in conuertendis, aut profligandis hæreticis, annui quidem potest, vel designari, describi verò ad viuum, aut explicari ad numerum nequaquam. Meritò id, quod apud Patres Capuccinos eiusdem urbis cernimus, sub eius pijssimis, atque imperterritis pedibus stratum pingere, cantharatùmque Lutherum.

Guilhelmus, Episcopus Nicopolensis, ubi Villielmus: etsi namque idem sit nomen, tamen non idem usus.

Haidelbergæ in Palatinatu Rhenano, cœnobium obedientiæ olim Prouincialis Sueuiæ, ab Ordine decidit, nouatoribus regionem, religionémq; radicitùs depascentibus.

Harapkovv, monasterium Sancti Spiritus Nicolaus de Peryn fundauit. Huius, & Nicolai Prioris mentionem reperi Brunæ in sententia iudiciali Nicolai Kont, Regni Hungariæ Palatini, super litem quandam concessionis eius loci, anno millesimo tricentesimo sexagesimo primo Vissegradi. Quare & ipsum Hungaricum.

Harlaffij in Bohemia extitisse cœnobium nostrum Diuo Antonio dicatam Bohemi scriptores asserunt.

Henrici de Hassia sermones de Beata Virgine ab eiusdem Natiuitate, cuius thema est [Ipse fundauit eam altissimus] principium verò [Magnæ utique, & gloriosæ festiuitatis]

ſeruantur inter alios Ordinis libros Ratiſponæ. Floruit ſub annum milleſimum tricenteſimum octogeſimum quartum: de quo, déque altero Henrico ſcribitur in Faſciculo temporum [Henricus Oyta, ſacræ theologiæ Profeſſor famoſus; Henricus de Haſſia, etiam Doctor theologiæ, fuerunt Viennæ duo luminaria Eccleſiæ.]

Henricus Stainer, Prouincialis Bauariæ functus fungio, vita etiam fungitur Monachij, & in templo noſtro mandatur humo, anno milleſimo quadringenteſimo octogeſimo ſexto: cuius laudes ad noſtrum quoque ſeculum, traditione ſeniorum, peruenerunt. Habent enim hoc proprium præclara facinora, ut tabido inuidentium liuore poſt defunctum ſepulto, tanquam ab excuſſis nubibus, fama illuſtriori erumpant.

Henricus de Vrimaria, ex Prouincia Saxoniæ, Jordano ſenior, ſed eidem benè cognitus ex vultu, & intima aſſiduitate; atque, ob excellentiam ſanctitatis, ac eruditionis, mirabiliter venerandus. Claruit cum maximè Lutetiæ Pariſiorum, ubi doctoris anulo, frequenti diſceptantium congreſſu, ac plauſu eſt ignitus, & Doctor ſummis elogijs ſalutatus: tum verò in Alemania ſua, in cuius urbibus præſtantioribus legendo, ac prædicando magno cum laude excelluit. Concertabant in eo, honeſta quadam æmulatione, doctrina, & bonitas; ut dubites, utra fuerit in eo maior. Quid enim aliud gignere poterat iuge ſtudium literarum, quàm virum excultum literis? quid aliud Chriſtiana pietas, quàm virum religioſiſſimum? Quæ orationibus, aut humanæ vitæ neceſſitatibus horæ ſupererant, nullo apud eum ocio terebantur; ſed eas omnes is impendebat continuò volutationi librorum. Nihil enim ei antiquius, quàm dicto, & facto contra ocium dimicare: hoc agebat in publicis concionibus, hoc in priuatis colloquijs.

quijs. Quantæ verò esset accurationis in lucubrationibus suis, nosci potest ab eo, quod faciebat in alienis: nam nullum unquam legebat librum, in quo si quem, scribarum fortè incuria, errorem animaduertisset, non diligenter corrigeret; siquid memoria dignum, non in margine annotaret; si quid dignum distinctione, aut declaratione, glossis quibusdam interlinearibus non distingueret, aut declararet. Mirum videbatur his, qui profundiorem literarum dulcedinem non ita attigerant, qui fieri posset, ut is indefesso corpore, indefesso animo tot subiret lectitando labores; audientibus eum aliquando dicentem, nunquam se ob studia lassum, aut ullo capitis, aut humerorum dolore offensum, siue aliorum quoruncunque membrorum: imò cùm ætatem transegisset septuagenariam, eò vehementiorem dantem operam literis. Quare semel cùm ij, quibus cum eo maior erat consuetudo, dixissent ei comiter, Tu Pater ita studes in Germania, ac si nunquam studuisses Lutetiæ; si Lutetiæ studuisses satis, non esset tibi opus studere ultra; sapienter ille respondit; Etsi pedes haberem ad tumulum, adhuc caput haberem ad literas. Potiorem autem temporis partem sibi oratio vendicabat, ut detersus, calefactúsq; spiritus vehementibus, atq; diutinis orationibus, scientiarum arcana clariùs, citiúsq; capesseret. Quotidie faciebat sacrum, quotidie animum sacero confessionis piamento expiabat. Neque id quidem celeriter, frigidéq; sed cum lacrymis detegebat errata, cum lacrymis pro eis Christum hostiam offerebat. Nectebat moras in accusandis culpis, ut cor contritum meditatione ingemeret: protrahebat verba in celebrando conuiuio, ut spiritus suauiùs reficeretur: quem usum, etiam psallendo, retinebat; ut legens, canere videretur; & vultu, & oculis ardentes sensus interiores ostenderet. Primus in choro aderat, postremus aberat: neque unquam sacrificabat, nisi recitatis an-

 tè ho-

rè horis canonicis,aliísq; ex eius instituto,pijs precationibus. Quilibet ei locus oratorium erat: in cubiculo, in claustris, per urbem, in ipso itinere nunquam ab orationibus desistebat: ut non una quotidie vice,sed secunda sæpè, & tertia recitaret integrum officium defunctorum; & si quempiam ex Fratribus ociantem videret, ad alternandam psalmodiam aduocaret. Qua de re cùm die quadam sedentium dolore cruciari dixisset socio, Quid ni? ille respondit; miror, cur non omnes deciderint,cùm nunquam os clausum teneas. Hæc erat Henrici pietas: sed & ea humilitas, ut famulantibus sibi,famulatus vices,ubi esset opus,ultrò rependeret. Ea charitas, ut infirmos quotidie visitans humanissimè, præstaret item officia medicorum, quorum artem non omnino ignorabat; iisq; dulciter prægustaret omnia, quæ suopte sapore gustui aduersabantur,ut animum afferret ægrotis: quo studio & Fratrem quendam, à Fratribus pro leproso habitum, eisdem reddidit familiarem, penes se illum in mensa habens,ex eadem conuescans patina,ex eodem cyatho combibens. Tandem ut patientia seruus Dei consummaretur, quæ Christiano viro, multò magis ecclesiastæ, necessaria omnino est, triennio ante obitum torquebatur diris renum doloribus,vesicæ,& calculi: quo tempore nullum unquam ab eius ore verbum insolens decidit,nullum is dedit signum impatientię,sed humiliter in culpas suas referens cruciatus, his modò se expurgari aiebat. Delectabat admodũ Dominũ in tanto agone pugil fortissimus,labores additi, addita duobus ante mortem mensibus ægritudo; & soluta adeo lingua in paralysin,ut is interdum nil posset loqui,interdum ita malè,ut vix,quid balbutiret, perciperetur. Sed eadem fortitudine animi hanc sustinuit, reuocans & eam ad exactam censuram conscientiæ suæ: ut, sicubi dicendo ad populum eloquenter, sibilus aliquis humanæ gloriæ titillasset aures cor-

dis ſui,nunc eiuſdem linguæ defectibus, ſermonis eleganti-am emendaret. In cuiuſmodi verba Prior etiam Prouincialis officioſè incidit,ut eum in tãtis corporis paſſionibus ſpiritualiter conſolari videretur. Sed quis Zachariæ ut Ioannis ortu miraculum non credat? Henricus,iam propè octogenarius, agens animam, ubi coram orantibus Fratribus, abſolutionis plenariæ beneficium à Prouinciæ Prçlato accepiſſet,& ſacro viatico,quo ſolebat feruore ſpiritus, recreatus eſſet, recuperato fandi officio cum firmitudine vocis, in hæc verba, quæ fuerunt poſtrema, expediuit linguam, In manus tuas Deus Pater commendo ſpiritum meum: In manus tuas Deus Fili commendo ſpiritum meum: In manus tuas Deus Spiritus ſancte commendo ſpiritum meum. Quibus verbis ſanctiſſimis,ut hymno quodam comitante,emiſſa anima, etſi longa confectum tabe, longóq; ſenio remaneret corpus exangue, ſuffuſus tamen colore roſeo cernebatur vultus, quaſi viſcera adhuc feruentia charitate, extinctas genas ſuccenderent. Hac inter cæteras Henrici laudes ornata eſt funebris oratio, qua tanto doctori, tam beato viro Franciſcanus orator coram congeſtiſſimo populo parentauit. Fertur feretrum cum ſacro onere in baſilicam, confluunt homines, non deſunt miracula. Fæmina ex noſtris religioſa,quæ diutina,perpetuáq; afflictabatur cephalea, atque vertigine, piè ſperans, ſe Henrici meritis,& interceſſione ſanandam, ſanata illicò eſt, quando manu eadem,qua Henrici faciem reuerenter tetigit, tetigit deuotè & ſuam. Proinde pluribus eius beatitudinem commendat Beatus; Henricum Iordanus. Proinde eum meritò Seripandus Cardinalis inter Beatorum elenchum nominat in ſui chronici appendice:& Matthias Hirſchberg, Baccalaureus noſter in iſagogica epiſtola in opus Henrici De Sanctis, eius perfectionem ſanctitatis, feruorem charitatis,atque doctrinæ excellentiam multis extollit. De

ſancti-

ſanctitate ait [Hic vir honeſtiſſimæ conuerſationis, vitæ pariter eximiæ, ſanctitate decoratæ, feruentiſſima diuina dilectione, & ſuauiſſima contemplatione ſanctiſſimi ſui Patris Auguſtini æmulans veſtigia, ad ſummæ perfectionis venit culmen] De charitate verò [Cuius in eo flagrantiſſimæ charitatis aperta indicia, argumentáq; haud fallacia, hæc ſunt; quòd vix, aut nunquam reperias quempiam ſermonum ipſius, in quo vel non feruorem charitatis, vel diuini amoris dulcorem, itémq; feruidum diligendi Deum tum conatum, túmq; deſiderium non reperias. Rurſúmq; amoris diuini dulcedinem, ſaporémq; intimum, & reliqua id genus, efficaciſſima diſſertione, placido ore, & ſine dubio, vehementiſſimo cordis amore frequentiùs, ſinceriuſuè deprompſit: quæ non niſi ex flagranti charitate, diuináq; dilectione proceſſère: quia ſecundum Auguſtinum, Lingua amoris, non niſi quæ amoris ſunt, nouit loqui] De doctrina autem [Si demum doctrinæ ipſius dexteritatem recto rationis oculo intueri velis, audeo dicere, quòd ſtylo ſuaui mediocriter (faſtus tumore, curioſitatis vitio, inaníſq; gloriæ ſemotis) ornatè ſatis, ut par eſt, & diſertus incedit; modò depreſſo, iámq; mediocri, modò item grandi dicendi genere diſcurrens, peccatoribus antidotum ſaluberrimum ingerit; incipientibus blanditur, proficientes hortatur, diuinam verò ſapientiam redolet inter perfectos. Denique in peregrinarum ſententiarum expoſitionibus reperitur acutus, & nimis admirandus, ut iure illi aptetur, quod Iob decimo octauo exaratum eſt, Omne pretioſum vidit oculus eius, profunda quoque fluuiorum ſcrutatus eſt, & abſcondita produxit in lucem] Solida laus, eóq; verior, quò de puro fonte ſimplicior. Malo verè dicta, quàm eleganter. Inter opera, quæ Henricus compoſuit, hæc ſunt: Sermones de Sanctis ducenti, atque ſeptendecim, cuſi in calcographa Hagenauenſi apud Henricum Gran, an-

no

no millesimo quingentesimo decimo tertio, quorum primum thema,& initium est [Ascendam in palmam,& apprehendam fructus eius] De conceptione mentali liber unus super thema Canticorum [Veniat dilectus meus in hortum suum] Huius principium est [Verba proposita, conuenienter exprimuntur] Fragmentum operis exscriptum, quinque duntaxat foliorum,reperi Monaci, colligatum alijs codicibus. Item De perfectione hominis interioris libri quatuor & viginti,quos ibidem legi exaratos in folio: primúsq; liber agit de vitijs principalibus,& eorum remedijs; cuius prologus incipit [Quia multa probabilia] Tractatus, siue primum caput [Quia menti rationali] Quocirca liber De vitijs principalibus non est liber distinctus,& alius ab hoc, ut autumat Pamphilus; neque uniuersi huius operis est titulus,idémque primus. Et quamuis totum opus collectum sit ex Patrum, videlicet monachorum, doctrina, unde illud Tritthemius nominat [Flores ex collatione Patrum] non est tamen hic operis titulus, neque diuersis liber ab eo, quem Abbas ponit [De perfectione hominis] Sed mendosis fortè codicibus ascribendum: nam si qui & prælo dantur ad unius abstersi exemplar, post multas, varias, oculatissimas emendationes non ita faustè in lucem prodeunt, quin supersit, quid corrigamus,qua ratione carere omnibus mendis eos putabimus, qui ex diuersis,impolitísq; exemplis à pluribus, & plerunq; imperitis librarijs,descripti,nec repurgati,suis quique bibliothecis,& gradibus, ut numerum expleant,collocantur?
Edidit præterea Henricus De antiquitate Ordinis librum, quem doctissimus Seripandus commemorat in commentario suo chronologico in annum millesimum centesimum quinquagesimum nonum. Et lecturam Decretalis [Cum Marthæ] Et tractatum De exemptione. Et quodlibeta,cum quæstionibus varijs,disputatis Lutetiæ. Et super libros ethi-

 corum.

corum. Et ſermones diuerſos,atq; tractatus concionabiles. De quorum pleriſque Jacobus Philippus in Supplemento, Pamphilus Epiſcopus in chronico, & ante eos Beatus Jordanus in Vitis Fratrum. Tenuit tamen Henricus in duobus ſermonibus de Beata Virgine, fuiſſe eam triceſimo quinto die ſanctificatam,& tunc ab omni labe originali purgatam. Atque ſermone quinto, & ſexto negat manifeſtiùs præſeruationem eius ab originali; cuius ſententiæ probabilis extitêre & quidam alij magni doctores. De Joanne Bono, multíſq; alijs ex noſtro Ordine beatis viris, hæc memoratu digna reliquit ſermone tertio de translatione Sancti Patris Auguſtini, qui eſt in ſerie centeſimus quinquageſimus octauus[Et quia ſecundum Apoſtolum ſi radix ſancta, & rami, ideo virtute talium Patrum,qui fuerunt noſtri Ordinis primarij fundatores, ſuper eorum poſteros,Dei gratia largiente, ſanctitas copioſa deſcendit: ut patet euidenter in Sancto Ioanne Bono, in Sancto Vito, in Fratre Nicolao de Tollentino, in Fratre Clemente,in Fratre Auguſtino de Iterano, qui ambo fuerunt Generales in Ordine, & pluribus alijs ſanctis Patribus, qui in diuerſis Prouincijs Ordinis, euidentiſſimis miraculis claruerunt,& hodie clârent, quos non eſt dubium eſſe tanti meriti apud Deum, ſicut multi alij Sancti per Eccleſiam canonizati] Floruit hic homo Dei ſecundum Seripandum anno Chriſti milleſimo tricenteſimo decímo, licèt eum Philippus Supplementarius, annos accipiens propinquiores morti, ſub annum recenſeat milleſimum tricenteſimum triceſimum quartum.

Herbipoli in Franconia conuentus generalis habetur anno milleſimo tricenteſimo nonageſimo primo ſub Tholomæo Veneto Priore Generali. Fuerat autem cœnobium hoc Bauaricis unitum poſt nouatores Saxones; tum ab a-

liquot

liquot annis,incommodo visitationis, separatum, sibíque soli expositum.Sed quod membris à compagibus resecatis,id monasterijs, ab aliorum communione exclusis, videmus accidere. Nos illud Rhenanis, ut à Moguntino non valde distans,in comitijs prouincialibus, Spiræ habitis, coniunximus.

Hermannus Mindelhaimensis, Sueuus, Episcopus Nicopolensis, & Suffraganeus Pragensis, viuebat anno quartodecimo à millesimo quadringentesimo, quo altare Visitationis Dominæ nostræ in nostra basilica Sancti Thomæ consecrauit Pragæ decimooctauo die Februarij.

Hermannus de Schuldicz, siue de Scildis (de Sildis scribit Bergomas expuncta litera) moritur Herbipoli, & in nostro templo tumulatur, his verbis in lapide sculptis [Venerandus Frater Hermannus de Schuldicz Westphalus, professor theologiæ Ordinis Eremitarum Sancti Patris nostri Augustini vlis, in omnibus Sanctus, expirauit anno 1357. in festo Sancti Kiliani] Quod scribitur ligatis,ut aiunt,literis[vlis]interpretor, venerabilis: nam quod suprà positum est, Venerandus, communis est titulus honoris,qui viro religioso præstari solet; quod verò subditur, venerabilis,epitheton est, datum congruè illi viro, ut tali viro; ídq; confirmant subiuncta verba descriptionis. Si verò pro, uniuersalis, aut utilis, complexam huiusmodi dictionem velimus accipere, ut scribæ solent, errabimus certè ab omni apto sensu,non orgyis, aut stadijs,sed parasanghis. Illud autem non obiter prætereundum, quod additur [In omnibus sanctus] Tam exquisitæ erat probitatis Hermannus,ut parum esset,si sanctus,nisi in omnibus sanctus,diceretur. Sanctorum quidam in his,quidam in illis virtutibus singulariter excelluêre, Hermannus in omnibus. Quare eius bonitatem vitæ, ac zelum erga Ordinem

dinem commendat Beatus Iordanus libro ſecundo Vitarum Fratrum capite viceſimo ſecundo. Et Hieronymus Cardinalis eum in albo collocat Beatorum in coronide ſui commentarij rerum Ordinis. Quæ ſcripſit, numerat Jacobus ſub annum milleſimum tricenteſimum triceſimum quartum, numerat & Pamphilus, ſed antè eos, ubi ſuprà, Iordanus. Nos de illis, quia multa ſunt, & habent quædam exigentia diſcuſſionem, agimus exactè in Hiſtoria magna, tempore ſuo. Modò hoc. Fuit Hermannus æquè theologus, ac canoniſta; æquè theologus ſcholaſticus, ac poſitiuus, ſiue ſcripturalis; & ante hæc philoſophus ſpeculatiuus, & moralis; rhetor, & poëta illuſtris. Vt theologus ſcholaſticus, ſcripſit commentarios in libros Sententiarum, & librum de conceptione Virginis: ut canoniſta, ſuper decretalem [Omnis utriuſque ſexus] & ſuper inſtituta legalia: ut theologus ſcripturalis, ac poſitiuus, poſtillas in Geneſin, & in Cantica canticorum, Quadrageſimale, & ſermones, ad clerum alios, alios ad populum; ut philoſophus ſpeculatiuus, quæſtiones varias naturales: ut moralis, tractatum de vera, & falſa amicitia: ut rhetor, ſuper artem rhetoricam: ut poëta, eruditum poëma de diuiſione philoſophiæ. Ad quæ genera reducuntur alia, quæcunque edidit.

Herphordienſe, ſeu, ut Latinioribus placet, Erfordienſe monaſterium Prouinciæ Saxoniæ, aluit ſtudia literarum, & procreauit diſertiſſimos Patres: ſed perijt cum alijs in corruptæ carnis diluuio, Lutheri ætate. Licèt ſint verboſiſſimi hiſtorici Saxones, ſunt tamen in re monaſteriorum Ordinum Mendicantium aut elingues, aut balbi: nec ſolùm Chitræus, Melanchthonis iuratus diſcipulus, & hiſtoriæ Saxonicæ linguaciſſimus recitator, ſed nec ipſe Crantzius catholiciſſimus ſiue in ſua Metropoli, ſiue in Hiſto-

ria,

ria, quicquam egit ex professo de ijsdem cœnobijs, nisi obiter,& quasi de anonymis. Habuit nihilominus Saxonia,cum Romanam Ecclesiam venerata est, omnium generum frequentissima monasteria, monachorúmq; copiosissimos greges: & ex his (o quare non modò? sanctitudine,ac peritia diuinorum, excellentes plurimos.

Hinco, Episcopus Ladimiriensis, Adiutor Archiepiscopi Pragensis in Bohemia, anno millesimo tricentesimo septuagesimo nono consecrationi nostrarum ædium Sancti Thomæ,eiusdem urbis interfuit. Anno autem octogesimo septimo à millesimo tricentesimo villam Letnam, in territorio Lithumisliano, eo iure à nostris Patribus emit,ut,ipso defuncto, ad idem monasterium Lithumisliense deuolueretur. Defungitur Pragæ, & sepelitur in nostro choro.

Iacobus,Episcopus Mainensis, interfuit Lugduni in generali Concilio anno millesimo ducentesimo septuagesimo quarto: indulgentiásq; Ratisponensi monasterio nostro Capellæ Domini,festis quibusdam diebus adiecit, quarto Kalendas Iunias.

Iacobus Magni,Eugubinus, natione quidem ad Germaniam non attinet; verùm eius monumenta inGermania legens, ipsum quoque inter Germanos iure quodam incolatus colloco. Sophilogium,cuius meminit Pamphilus, ad amorem sapientiæ lectores prouocans,descriptum,impressúmq; habet bibliotheca nostra Seemanshausensis, cuius prima periodus talis est [Lecta colligere, & ad summam ordinatè redigere, quàm utile sit, experientia didici] Postillam eiusdem, haud notam Pamphilo, super Genesin, Episcopo Antisiodorensi dicatam, non minùs doctam, quàm uberem, Ratisponæ, in folio scriptam, legi; cuius prima clausula est [Sacri eloquij dogmata nuper cùm cer-

nerem, penes me conclusi, nil studio dignius sacrę scripturæ, quam Deo inspirante suscepimus] Cuius hic cognominis fuerit, ex Iacobo Bergomate non intelligimus; de quo agens infra annum sextum post millesimum quadringentesimum, scribit fuisse eum natione Tolletanum: neq; de alio quopiam Jacobo ibi dicere cogitauit, cùm subdat, eum composuisse Sophogium (sophilogium quippe) præcellentissimum, ad diuinam sapientiam perquirendam suasorium. Sed oro te Antistes, patiaris ire huiusmodi quęstiunculas, quasi ad complendam fabricam, inter maiores Historiæ magnæ. Hic autem etsi notemus pauca, percurrentes; nescit tamen calamus ieiunè progredi: quo fit, ut attingamus quædam, more viatorum, libantes præ siti, aut etiam præ fame ientantes.

Jacobus Flander, Lutheri zizania, loco puri euangelij, Antuerpiæ, aliísq; in urbibus posteaquam pro sua libidine disseminauit, reuocauit errores suos Bruxellis in summo templo, ut refert Cratepolius circa annum millesimum quingentesimum vicesimum quintum. Relapsus, sibi fuit, & monasterio Antuerpiensi, exitio: habent enim suas & rosaria spinas. Sed quis sit hic Jacobus, quæ Præpositura, inter alias controuersias nostras hæc locum habet.

Ilcussium, siue Ilkus, urbs diæcesis Cracouiensis, ab ipsa cathedrali quinque distans milliaribus Polonicis; ferri, plumbi, argentíq; fodinis feracissimis nobilitata, & aucta: ex villa enim creuit in urbem; & à Rege Casimiro, fodinarum ubertate reperta, mœnibus, turribúsq; instructa, titulum meruisse ciuitatis dicitur: à quo etiam parochialem ecclesiam Sancti Andreæ, & monasterium nostrum Assumptionis Mariæ Virginis in rescripto ex libris monasteriorum, & beneficiorum Cracouiensis ecclesiæ fundatum accepi. Verùm in suis literis Ioannes, Episcopus

Craco-

Cracouiensis, asseuerat, ad instantas petitiones Wladislai Regis Poloniæ, & Consilij ciuitatis Ilcussiensis, prima cænobij fundamenta per suum Archidiaconum deputatum, ad honorem Dei, sacri Corporis Christi, ac semper Virginis Matris eius in vigilia Sancti Iacobi iacta fuisse: consecratum verò templum prima dominica ante festum Assumptionis per Wentislaum, Episcopum Sareptensem, Adiutorem eius. Datæ autem literæ Cracouiæ feria sexta, prima post diem Beati Bartholomæi, anno millesimo tricentesimo octogesimo septimo. Quarum seriem Bonifacius Nonus suo inclusit assensui, Romæ, apud Sanctum Petrum, decimo Kal. Ianuarij, Pontificatus sui anno duodecimo, eásq; Ilcussij vidi: & in his idem Wladislaus, & Ilcussienses dicuntur monasterij fundatores. Post initia floruit quidam Gregorius noster, sacerdos deuotus, tantæquê indaginis, ut ad inueniendas in eo climate venas fodinarum ditiores perspicacissimus fuerit, ac felicissimus: quapropter, ut coruus albus, ita diues monachus passim vocitabatur. Is autem non ad proprium, sed ad commune commodum, æs omne conuertens, non Ilcussiensis tantummodò monasterij ædificia perfecit, auxítq; sed & Cracouiensibus monachis nostris ingenti dicitur fuisse auxilio. Monasterium hoc etsi ligneos parietes, ut & cæteræ urbis ædes, neglexerit; flammas tamen non difficulter usque ad ipsa interiora admisit.

Incelerius, Episcopus Budensis in Hungaria, anno millesimo ducentesimo octogesimo quarto indulgentias certis diebus pro monasterio nostro in Marchekke concessit. Memoratur in dictione Vienna. Hinc Præsul conijce tum antiquitatem, tum nobilitatem Budensis cœnobij: quantúsq; exiret Episcoporum numerus, si iam euersis tumulis, profanatis ecclesijs, bibliothecis igne depactis, ipsa

dunta-

duntaxat indulgentiarum priuilegia inuenirentur.

Ingolſtadij,ob Vniuerſitatis, & literarum exercitia excitandum monaſterium duxi: cedítq; Ioannes Conradus, Epiſcopus Eiſtadienſis, ſacellum Beatæ Virginis apud Schutarum riuulum,eiuſdémq; onus beneficij,ad Diui Mauritij transfert anno milleſimo ſexcenteſimo ſexto, Ruperto Engelſchal theologo,primo Priore. Promouet negotium admirabili pietate Maximilianus, Bauariæ Dux, eccleſiarum fautor,ac literarum.

Inſula,ſiue Oſtrovv in Bohemia,monaſterium habuit Beatæ Virginis,quod fundauit Vlricus Lepus de Valdek de conſenſu Ottagari Regis Bohemiæ anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimo tertio,octauo Kalendas Aprilis; confirmátq; & templum dedicat Ioannes Epiſcopus Pragenſis anno eodem,tertio Idus Maij: inchoata nimirum fabrica multò antè: nam quis credet monaſterium infra tam paucos dies,ſcilicet ab octauo Kalendas Aprilis uſque ad tertium Idus Maij extructum eſſe? Dos fuit villæ Amaræ, curiæ in Inſula cum duobus alodijs,piſcinæ cum piſtrino, alodij in Viſſeradic,& Syluarum. Octennio pòſt fundator moritur: indéq; decennio Vlricus fundatoris filius, quo ipſo anno obijt, donauit conuentui villam Trinou, quæ commutata eſt pro Praſcoles, & pro Sedelecz. Anno milleſimo tricenteſimo viceſimo ſeptimo Vlricus de Haſenburg,Decanus Eccleſiæ Pragenſis, transferens corpus Sanctæ Benignæ, illud cum alijs reliquijs Inſulano noſtro monaſterio concedit, unde dictum eſt Sanctæ Benignæ,vel Sanctæ Mariæ Benignæ, retinens unà primum titulum fundatoris. Anno milleſimo tricenteſimo quinquageſimo octauo Zdeſlaus de Hazmburk moritur,& pro eius anima & Suatoſlauæ uxoris legatur villa Cheſtenicz. Anno milleſimo tricenteſimo ſexageſimo octauo decedit

Zbineo

Zbineo de Hazmburk ſupremus Camerarius Regni Bohemiæ, qui conuentui reliquit mediam villam Giuinam cum omnibus attinentijs,& ſex marcas perpetui cenſus in Drazdou, & quatuordecim ſexagenas perpetui cenſus in Czenkou. Tum Vilhelmus de Valdek,fundatoris nepos, pro ſua anima ſexagenas annuas quinq; cum villa Pleſſivvicz, quæ commutata eſt pro Zaluſs. Anno nonageſimo primo ſupra milleſimum triceteſimum è cuius abit Budiſlaus ex filijs fundatoris, & pro ſua anima relinquit villam Tien. Vndeuiceſimo pòſt anno Fratres Inſulani vendunt emphiteoticè curiam cum agris in villa Obegovv, & hi octo presbyteri in literis nominantur, Venceſlaus de Zbirou,dictus Machko,Prior; Stephanus Supprior, & Sacriſta; Petrus Sokol Procurator; Joannes Rochita, Poſſeſſor ſyluarum (interpretor pro rurali Procuratore) Joannes de Sbirou; Marguardus, & Andreas de Piuonia Seniores; & Venceſlaus,dictus Cochel,Prædicator. Anno autem milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſexto Prior erat Mauritius, quo Domini de Hazmburk, fundatoris poſteri, ſupplicant Legato Pontificio, ut impetret à Summo Pontifice indulgentias pro monaſterio, aſſerúntque conflagraſſe tertiùm, compilatúmq; eſſe ab Huſſitis. Nunc inde abſumus.

Joannes, Epiſcopus Coronyacenſis, claruit anno milleſimo triceteſimo decimo tertio, quo indulgentias erogauit quotidianas viſitantibus templum noſtrum Monachienſe, vel concionem ibidem audientibus, monachisuê noſtris eleemoſynam aliquam largientibus.

Joannes, Epiſcopus Lauacenſis, eodem anno milleſimo triceteſimo decimo tertio floruit, quo ijſdem non abſimiles donauit. Vtriuſque diplomata inueniuntur Monaci apud noſtros. Erant tunc temporis indulgentiarum Ponti-

ficiarum auidiſſimi cœnobiarchæ, ſicut & populi; tunc inquam temporis, cum Chriſtiana religio in nouo palmite turgens, erumpebat in gemmas: ut indulgentiarum bullas Cardinalium, atque Epiſcoporum innumerabiles per archiua monaſticha inuenerimus, vicenis, mihi crede, tricenísq; plus minus ſigillis diuerſorum Antiſtitum uni bullæ appenſis: cuius ſi meminiſſe nolunt, qui nouant impiè agrum dominicum, erubeſcant ſaltem, ſe tantum à ſuis atauis degeneraſſe, ut nec filiorum, nec poſterorum quidem nomen ſibi iure vendicare valeant.

Joannes Antonius Imolenſis, Italus genere, ſed inſitione Germanus, dicauit opuſculum ſuum De attributis Joanni Erfordienſi, Canonico Cerinenſi, Ægidium ſequens, de quo libro Signinus nihil. Legitur Ratiſponæ apud noſtros.

Joannes Argentinas, Lector, ob literaturam, ac pietatem Beato Iordano Saxoni carus, ad quem direxit librum De vitis Fratrum epiſtola proæmiali, cuius titulus incipit [Spiritualis pulchritudinis amatori] O quàm conducit laudari à laudato viro: quid à beato?

Joannes à Baſilæa ſcripſit commentarium ſuper quatuor libros Sententiarum, quem vidi in conuentu noſtro Ratiſponenſi, deſcriptum in folio, cuius principij literas edacitas temporis, nullo earum relicto veſtigio abligurijt.

Joannes de Bradis Saxo, vir doctrina illuſtris, in baſilica noſtra Viennenſi, ubi & plures alij eximij Patres, humatur; de quibus ſic legitur in elegia quadam tabellæ antiquæ, ſuſpenſæ monumento Thomæ Argentinatis;

[Et circum circa, quorum ſunt nomina nota,
 Egregios, doctos & ſimul eſſe viros.
Sed tamen & notos referam tres, ecce Joannes
 De Bradis, Saxo, clauditur hócq; loco.]

Joannes, Cracouienſis Prior, & Abbas monaſterij Caluimontis

tis Ordinis Sancti Benedicti, quod ad octodecim Polonica milliaria à Cracouia distare ferunt, naturæ concedit anno millesimo quadringentesimo tricesimo quarto, & sepelitur Casimiriæ in sacello Sanctæ Dorotheæ monasterij nostri, Tumularis lapis hæc habet [Anno Domini 1434. obijt Venerabilis Pater Joannes, Abbas de Caluomonte, Prior huius conuentus] Sunt & alia complura exempla (quicquid dicant leges) cum nostrorum, tum aliorum Ordinum Mendicantium Patrum, qui ad varias Abbatias apud Aquilonares fuerunt pacificè electi, atque promoti.

Ioannis Hofmaisteri Colmariensis, ex Prouincia Rheni cœnobiosa, doctoris, & concionatoris eruditione, ac facundia præstantissimi vitam complecti paucis nec debemus, nec possumus. Scripsit de eo nonnihil Pamphilus, & antè Seripandus, sub cuius magistratu generali, rebus sursum deorsum miserabiliter confusis, Tuiscorum Eremitarum habenas tenuit, propugnans simul catholicam fidem strenuus theologorum cataphractus contra irruentia Lutherigenarum agmina, offensorum viro gentili, ita lingua, ut calamo, pugnacissimo. Sed quæ de eo palàm fecerit idiomate Germanico Leonardus Hallerus, Episcopus Philadelphiæ, Suffraganeus Eistadiensis, & libro eiusdem Hofmaisteri Postillarum opposuerit, huc Latinè transferam. Ait enim [Amice, caréq; Lector. Toti superiori Germaniæ notum est, & manifestum, quæ dona in prædicando, Deíq; verbo annunciando ex diuinæ benignitatis thesauro sorticus fuerit piæ memoriæ Reuerendus atque deuotus Pater Joannes Hofmaisterus, Ordinis Augustiniani quondam Prouincialis, & Prior conuentus Colmariensis: qui etiam huiuscemodi talentum non utì inutilis ille seruus in sudario reposuit, aut in terram defodit, sed usus illo est iuxta facultatem suam, & intellectum, ei à Domino

Deo datum. Non proprio tamen motu, verùm ijs in locis, ad quæ ritè vocatus, ídq; exercere iussus fuerat. Testes huius rei sunt unâ cum ciuitate Colmariense, loco nimirum propositæ sibi mansionis, & quietis, etiam multa alia loca: ac præsertim duo imperialia celeberrima comitia, quæ proximis annis quadragesimo quinto, sextóq; Wormatiæ ac Ratisponæ celebrata sunt: ubi ipse in conspectu Imperatoriæ simul, ac Regiæ Maiestatis, clementissimorum Dominorum nostrorum, nec non Sacri Imperij Romani Comitum Palatinorum, Statuúmq; atque innumerabilis penè populi, commisso sibi officio prædicationis amplissimè functus est: adeo ut non modò Romanæ Ecclesiæ subditi, verumetiam contrarij, singularem quandam iucunditatem, & delectationem inde hauserint. Hinc multi permoti, allaborarunt, quatenus fidelem illum, diligentem, promptúmq; Ecclesiæ Christi ministrum (tam enim promptus erat, ut uno sæpe die bis, teruê concionaretur) tum ad suam ipsorum, tum etiam ad subditorum suorum utilitatem, animæq; salutem, ad se trahere possent. E quibus Serenissimus, Catholicus, & Ecclesiæ Romanæ Fidelis Princeps, ac Dominus Willhelmus, Comes Palatinus Rheni, utriusque Bauariæ Dux, clementissimus Princeps, ac Dominus meus, unus fuit, qui suprà memoratum Patrem Joannem Hofmaisterum pro concionatore principalis urbis suæ Monacensis tandem nactus fuit: ubi & ipse Hofmaisterus quasdam è suis habitis concionibus Germanicè imprimendas, & in lucem edendas curauit. Quamuis autem tum temporis, exactis quibusdam hebdomatibus exinde Colmariensem suum repetierit conuentum, quò molestias itinerum paulisper vitaret, ac domi in proprio monasterio concionibus, atque etiam lectioni, scriptioníq; (id quod requiem arbitrabatur) vacare vellet; hac tamen cara sibi requiete frui minimè permissus fuit. Postquam enim

nim Catholicæ Romanæ Imperatoriæ Maiestatis rebelles ex campo se subduxêre, Cæsareáq; Maiestas Vlmam se confestim contulit, Reuerendissimus Pater, ac Dominus, Dominus Otto, Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Tituli Sanctæ Balbinæ Presbyter Cardinalis, ac Episcopus Augustanus, clementissimus Dominus meus, Hofmaisterum eò permouet, ut suggestum Vlmensem susceperit regendum: cui etiam quibusdam mensibus non absque fructu, & lucro multarum animarum, ut à Deo sperandum, laudabiliter præfuit. Tum denique cum per eiusdem Sacræ Cæsareæ Maiestatis victrices manus memorato clementissimo Domino meo Episcopo Augustano ciuitas sua Dillingensis, quæ à rebellibus ad sex menses occupata tenebatur, restituta fuit, Illustrissima sua Celsitudo sæpe dictum Hofmaisterum eò vocauit ad eradicanda recenter orta zizania noui dogmatis, quæ per rebelles tempore suæ tyrannicę occupationis in ciuitate Dillingana fuerant disseminata: id quod dictus fidelis Pater Joannes Hofmaisterus alacriter præstitit; sicq; aliquanto tempore ambas ciuitates, Vlmam scilicet, ac Dillingam alternatim diuini verbi ministerio administrauit. In istis tamen laboribus nequaquam verba sua aëri mandauit; neque solùm auditores suos his erudiuit, verumetiam conciones suas diligenter Latina lingua conscripsit, & postmodum magnam illarum partem, nempe dominicalium euangeliorum ab Aduentu usque ad Penthecosten ipsemet in Germanicum transtulit, ut idiomate patriæ quoque suæ consuleret: ij quoque, qui eius illas conciones audiuissent, easdem denuo ruminando transcurrerent, vitámq; suam tantò faciliùs secundum eas dirigerent: ij verò, qui non audiuissent, ijsdem minimè defraudarentur. Cùm verò Deus omnipotens ipsius molestias, diligentiam, ac fideles demum labores remunerare, atque à seculo hoc nequam tempestiuè satis euocare

 vellet,

vellet, Vlmæ tandem graui morbo correptus fuit: quade causa Hofmaisterus ad monasterium Sefligense, ciuitati proximum, se recepit: verùm, morbo paulisper ingrauescente, ulterius Gunzburgum usque deportatus est, ubi aliquot septimanis morbi vim, & molestiam cum omni humilitate patientissimè sustinens, sæpiúsq; interim Deum interpellans (uti de Sancto Martino legitur) ait, Domine si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua: sicqué ibidem Gunzburgi vicesimo secundo Augusti, proximè lapsi, anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo septimo, rationis pleno usu præditus, piè in Domino obdormiuit, & ad æternam vitam (uti omnino sperandum) feliciter migrauit. Datæ Eistadij, die Conuersionis Sancti Pauli, anno millesimo quingentesimo quadragesimo octauo] Hæc ille: cui, ut viro non eiusdem Ordinis Ecclesiastæ; ut Episcopo; atque etiam ut bono, ac docto viro, fides non vulgaris præstanda. Addam & eiusdem Hofmaisteri epistolam, præpositam latinæ editioni eiusdem Postillæ, ad Serenissimum Hungariæ, atque Bohemiæ Regem, Archiducem Austriæ Ferdinandum: in qua candidè, & ad rem de se ipso in hunc modum [Ea est hoc nostro seculo calumniæ vis, atque tyrannis, ut nihil à quoquam in publicum proferri possit, quamuis eximium, quod non illa virulentis mortibus arrodere præsumat, & quasi deuorare conetur. Hinc est Serenissime Rex, quòd non pauci, bonorum etiam librorum autores plus operæ interdum cogantur insumere apologeticis quibusdam præfationibus contexendis, quibus & se purgent, suásq; vigilias lectoribus commendent, quàm operibus ipsis conscribendis. Ego verò piorum iudicio, & tua autoritate, qua nulla mihi potest esse antiquior, contentus, calumniatorum iniurijs nunquam eò commouebor, ut has meas chartas, veræ religioni consecratas, longiori proœmio onerem

onerem magis,quàm adornem. Nouit enim Serenissima tua Maiestas,qua occasione hoc,quicquid est operis,instituerim. Nam cùm proximè elapso anno in celeberrimo Principum totius Romani Imperij conuentu Wormaciæ, cathedralis ecclesiæ concionatorem agerem, tuáque Serenissima Maiestas ita meis concionibus esset addicta, ut nullam penè illarum negligeret, tandem eum erga me fauorem concepit, tantáq; gratia,& beneuolentia me prosequuta est, ut nihil enixiùs tunc à me cupere videretur, quàm ut posthabitis alijs omnibus officijs,& negotijs, me quamprimùm ad Serenissimæ tuæ Maiestatis aulam conferrem,ibíque verbi diuini ministerio præessem. Quod cùm facere non possem, meæqué excusationis causas iustas, & graues protulissem, cæpit Serenissima tua Maiestas vel hoc à me postulare, ut non solùm eos sermones,quos tum à me audierat,sed totum etiam opus Homiliarum, & hoc primo quoque tempore concinnarem, atque ederem. Quod cùm tanto Principi negare non auderem,pollicebar meam operam,& me quamprimùm illud facturum,seriò recipiebam. Eo itaque die incepi conscribereHomilias in omnia euangelia,quæ vocant dominicalia, & in non pauca, quæ festis diebus leguntur; eásq: addidi illis, quas tum in tam frequenti auditorio Wormaciæ habueram. Cæterùm,cùm iam redijssem ad Colmarienses meos, inter alia negotia,quibus tantùm non enecor, reuocaui Homiliarum opus sub manus meas, ut ea, quæ Wormaciæ inceperam,Christo fortunante,perficerem. Atqui,non ita multò pòst, præter omnem opinionem ab Inuictissimo Imperatore vocor ad colloquium theologicum Ratisponam; sicqué rursus cogor telam meam relinquere. Postquam verò eò ventum est,ecce instant vehementer V.Canonici superioris Collegijs rogant,velim munus concionatorum in me suscipere.Quod cùm non temerè meo quidē iudicio denegarē,

illi

illi tandem in præſidium vocatis Principibus viris, & quorum iuſſa capeſſere fas eſt, hoc effecerunt, ut iterum me periculoſiſſimo mari committerem. Quantum enim periculi habeat, eo in loco, tantis auditoribus, & talem hominem, qualis ego ſum, concionari, nemo non nouit, niſi qui non intelligit, quid ſit, Lupum auribus tenere. Diuina igitur voluntate, & prouidentia (nam de hoc non dubito) factum eſt, ut hi mei ſermones rurſum inciperent augeri, paulatímque creſcerent: ita ut in ipſo opere nihil ferè ſit, quod non in comitijs Principum à me publicè in frequentiſſimo auditorio dictum ſit. Inde etiam eſt, quòd nihil eorum, quæ dixerim in concionibus, in hoc ſcripti genere mutare voluerim. Nam ſi ſecus feciſſem, poſſent mihi tam catholici, quàm aduerſarij vitio vertere; quaſi multa dixiſſem apud paucos, quorum me apud multos puderet. Aliàs non illibenter quædam, quæ tempus illud, ut præterirem ſilentio, non patiebatur, vel mutaſſem, vel penitus ſuſtuliſſem. Proinde ſiquæ videntur in hiſce meis Homilijs duriora, vel acerbiora, ea magis locorum, & temporum iniuriæ, quàm meis affectibus tribuenda ſunt. Et cogitandum eſt, multum referre, apud Principesnè quis, an apud plebeios concionetur. Et in tanto conuentu ſic mihi moderandus fuit ſermo, ut neque noſtris adulari, neque aduerſarios odio proſequi viderer. Quod certè conatus ſum; an verò hoc ipſum aſſecutus ſim, aliorum eſto iudicium. In altera verò Poſtilla, quam, Deo annuente, & Sereniſſima tua Maieſtate iubente, componere aggrediar, ſic me intra limites cõtinebo, ut in ſpem veniam, neminem piorum non grato animo accepturum, quod daturus ſum; tollam enim quæ minùs amica videntur, ut plebi non odium, ſed amorem potiùs ex meis ſcriptis imbibant. Spero enim breui fore, ut talibus contentionibus, & gloſſomachijs, quibus hactenus nimium occupati fuimus, nullus,

neque

neque locus, neque necessitas relinquatur. Porrò aliorum Homilijs, quæ profectò innumeræ extant, tantum abest, ut aliquid derogem, ut etiam illorum & verba, & sententias non rarò ponam. Nec de solis catholicis loquor homiliastis, sed etiam de aduersarijs, qui, siquid alicubi boni habent, non dubitaui in has meas transferre. Nec admodum mihi placet tot postillationibus pios pastores obtundi: & meo quidem iudicio præstaret certas habere postillationes, à doctis, & pijs viris conscriptas, examinatas, & probatas, quæ à minùs eruditis pastoribus plebi Christianæ ex præscripto, & ad verbum prælegerentur, quàm sic sursum, deorsúmq; circuncursitare, & nihil, quod proponans, solidi habere. Nam, ut rectè Diuus Augustinus meus scribit, li:4.de doct:Christ. cap: 29. Sunt quidam, qui benè pronunciare possunt, quod autem pronuncient, excogitare non possunt: quòd si ab alijs summat eloquenter, sapientérq; conscriptum, memoriæqué commendent, atq; ad populum proferant, si eam personam gerunt, non improbè faciunt. Sic enim (quod profectò utile est) multi prædicatores veritatis fiunt, nec multi magistri, si unius veri magistri idipsum dicant omnes, & non sint in eis schismata. Hæc ille. Ad quam commoditatem si his meis lucubrationibus vel modicum prodesse possum, est, cur Ecclesiæ Christi, & mihi gratuler. Præterea non habeo, quod cupiam, nisi ut Serenissimam tuam Maiestatem rogem, ut hanc meam operam, ad quam ipsa me inuitauit, boni consulat; & me, meósq; omnes commendatos habere velit. Deus Optimus Maximus Serenissimam tuam Maiestatem cum Serenissima Regina, & liberis, verè regijs, in multos annos seruet incolumes. Datæ Ratisponæ anno salutis millesimo quingentesimo quadragesimo sexto Kalendis Septembris.] Itaque non immeritò Hieronymus Seripandus, tunc Præsul Ordinis Generalis, plurimi Hofmaisterum faciebat; sub quo

is utriusque Germaniæ gubernaculum tenuit; & in eum Germanorum omnium catholicorum dirigebantur oculi, in eo uno spem mutandarum rerum labefactati Ordinis collocauerat Seripandus: cuius in hoc frequentes ad eum epistolæ: quarum, ut viri eloquentissimi, hanc unam ad Hofmaisteri gloriam recitabo[Literis tuis, quas VIII. Idus Quintilis accepimus, animi tui, ad Regionem nostram subleuandam, propensionem cognouimus, & gauisi sumus: sic Deus det tibi vires, ut, quod in animo est, & supra modum optamus, perficias. Vicarium nostrum, ut ex patentibus literis cognosces, in tota Germania te instituimus, ut Prouincijs, quæ supersunt, opem feras, & nos aliqua ex parte tuo studio leues. Si Coloniam te adire contingerit, viderísq; ibi locum instruendis iuuenibus commodum, Venerabilem Prouincialem, virum integrum, & eruditum, nostro nomine alloquaris: ad eum enim, ut te audiat, tecúmq; sit in omnibus, scripsimus: & nostra potestate, quam tibi præbuimus, usus, nihil eorum, quos ad iuuenes instruendos attinere cognoueris, prætermittas, iuxta tenorem literarum nostrarum, quibus te Vicarium instituimus. Hac enim via (Deo qui dat velle & perficere pro bona voluntate in his te adiuuante) surget, quæ sedebat; aut potiùs resurget, quæ sepulta iacebat in istis partibus Augustiniana familia. Si te Ratispona, actis colloquij nondum typis excusis, abire necesse fuerit, mandes Venerabili Magistro Ioanni Mugnatoni, concionatori Cæsareo, ut acta illa cùm impressa fuerint, per tabellarium ad nos transmittat. Literas, ut annuis, ad Patres Prouinciæ tuæ datas, legi in Prouincia curabis, omnésq; & singulos monebis, ut & suo quisque fungatur officio, & opere faciat, quod habitu præseferre videtur. Vale in Domino. Tridentino, die IX. Julij MDXLVI.] Erat tunc Hofmaisterus Prouincialis Prior Prouinciæ Rheni, & Sueuiæ, cum generalem præfecturam super utramq; Germaniam à GeneraleSeripando susce-

pit: sed post annum, à laboribus vocante Deo ad requiem, huic seculo vale dixit: quocirca neq; id integrè præstare Ordini potuit, quod Hieronymus expectabat; neque alteram consummare postillam, quam is, in literis ad Ferdinandum Regem promiserat. Quæ verò ex eius operibus legimus, hæc sunt. Expositio precum, ac cæremoniarum, quarum usus in quotidiano sacro. Incipit [Sacerdotem, siue liturgum nostrum] Missam enim aduersarij non repudiare, sed & ridere cæperant. Item, Verbum Dei, carnem factum, hoc est, Iesum Christum seruatorem nostrum, Ecclesiæ suæ unicum propitiatorium, & perpetuum esse sacrificium. Assertio. Incipit [Cum animus meus sacrum Missæ] Imprimitur Romæ apud Antonium Bladum anno millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto. Hæreticorum malæ artes à sanctis Patribus descriptæ. Incipiunt [Vsq; ad tempora illa] in duodecim priora capita Actorum Apostolicorum commentaria. Incipiunt [Corruptæ humanę naturę] Cuduntur Colonię apud hęredes Arnoldi Birckmanni in folio, anno millesimo quingentesimo sexagesimo octauo. Loci communes rerum theologicarum. Incipiunt [Nos postquam cauerimus] Imprimuntur Antuerpię in ędibus Ioannis Steelsij. Dedicat ipse autor Erasmo anno millesimo quingentesimo quadragesimo sexto. Is idem Abbas, ad quem res Ordinis delatę anno millesimo quingentesimo. Postilla Latina sub hunc titulum [Homilię in euangelia, quę in dominicis, & alijs festis diebus leguntur per totum annum, plerę q; omnes in comitijs imperialibus, Wormacię & Ratisponę nuperrimè celebratis, deprędicatę per V.P. Joannem Hofmaisterum Fratrem Eremitarũ Diui Augustini, per utramq; Germaniã Vicariũ generalẽ] Incipit [Nemo miretur] Cuditur Ingolstadij ab Alexandro Veishorn, anno millesimo quingentesimo quadragesimo octauo. Eadem duobus tomis in folio lingua Germanica

 cum

cum hoc titulo [Methodus euangelica, Oder catholische Postill] Ingolstadianam impressionem anni millesimi sexcentesimi primi vidi in Seefeld. Atqui cæteras Hofmaisteri lucubrationes longè antecellunt hæ, siue Latinæ sint, siue Germanicæ, in quibus quàm sæpissimè agit dogmaticè, ad luciscos illius seculi illuminandos: nihílque vulgarius Alemanis ecclesiastibus, quàm Hofmaistericæ prædicationes. Alia eius monumenta in suo cœnobio Colmariensi: sed hæc iam satis.

Joannes Merkelin expositionem edidit super epistolas dominicales perutilem, dicauítq; Haynrico, Episcopo Warmiensi hoc exordio [Cum nuper ad mentem meam]Opus incipit [Gloriosus doctor, beatissimus Augustinus] Codicem in folio descriptum habet Monachium.

Joannes Mugnatones, concionator Cæsareus, summi nominis, floruit anno quadragesimo sexto a millesimo quingentesimo, quem magnus Seripandus in Hofmaistericis literis, superiùs repetitis, atque iugiter in plerisque alijs præclarè semper commemorat.

Joannes Perger, Episcopus Belmensis, Suffraganeus Brixinensis, & Frisingensis, cedit viuis anno quadringentesimo octogesimo primo post millesimum, & infra chorum basilicæ nostræ Monacensis datur humo: cuius lapis hoc epitaphio obsignatur [Anno Domini 1 4 8 1. die Sanctorum Ioannis & Pauli, obijt Reuerendus in Christo Pater, Dominus Ioannes Perger, Episcopus Belmensis, Suffraganeus Brixinensis, & Frisingensis, Ordinísq; Fratrum Eremitarum Sancti Augustini professus, cuius anima requiescat in pace.]

Joannes de Recz, Pater doctrina egregius, sepultus inter claros Ordinis viros secus Leonardum ex Carinthia, in sacra æde nostra Viennensi, de quo ibidem sic loquuntur in fine vetusta carmina; [De

[De Recz Auſtralis ſeruantur & oſſa Ioannis
Poſt hunc, o ſimul hos ſolue benigne Deus.
Sic precor orate pro doctis his; ut & ipſi
Pro nobis orent, quos docuêre priùs.]

Joannes Staupitius, haud infima inter Saxones familia oriundus, à puero non minus Chriſtianis moribus, quàm liberalibus diſciplinis imbutus ſedula educatione fuit. Verùm ut tum pietati, cum literis eò impenſiorem operam daret, Eremiticæ vitæ Auguſtinenſium ſe coniunxit; tantúmq; ſtudendo profecit, ut ſingulari ſua peritia literarum ſanctarum promeruerit ſuprema ſacræ theologiæ laurea Tubingæ, magno omnium plauſu, coronari. Fuit autem & in negotijs, & in literis ambidexter, ſermone comptus, moribus comis, indole ſagax, atque politicus; religionis verò, vitæqué regularis longè amantiſſimus, atq; dignitatis monaſticæ propugnator inſuperabilis. Vtinam Staupiti, minus humani in te fudiſſet humanitas: utinam tuum, quo eminebas, ingenium, in nulla virium, naufragium accepiſſet. Quæ laus, quæ gloria magno cuiuis, ac docto viro rependi unquam poteſt, quæ non Staupitio, niſi illum nonnunquam vel humanitas palpaſſet, vel ſuperaſſet ingenium? Ingenio ſe maior fuit, ſed & hoc ipſo quandoque minor: flexit illud ad regimen, flexit ad literas, ad utrumque feliciter, ad illud magis. Non deerat ei zelus, non zeli modus ſcientia; & maximè ad capiendos hominum animos erat mirabilis. Quare Monachienſe, & complura alia ex præcipuis Alemaniæ cœnobijs commendatione ingenti gubernauit. Gubernauit & Prouinciam ſuam Thuringiæ, & Saxoniæ: atque ubi etiam Vicarius generalis creatur Congregationis Alemaniæ, eam multis legibus referſit, plurimis monaſterijs comprouincialibus auxit, & Congregationi Lombardiæ uniendam

tandem curauit. Vnde(o mores hominum) exitiosissimam, illámq; indeficientem suscepêre originem deploranda tempora subsequuta, ut inferius in Osualdo Norimbergense dicemus. Tractauit autem Staupitius & sua, & aliena; priuata, & publica faustissimè: interdum Romam, non rarò ad suę nationis Principes, tum ecclesiasticos, cum laicos, pro difficillimis semper negotijs delegatus. Inter quæ illud si non primas, certè secundas obtinet, quòd Academiam Vittembergicam, Friderico Saxonum Duce demandante, usq; adeo in erectione iuuit, ut eum illius Academiæ autorem proximè dixerim. Summas enim illa debet Summo Pontifici, ipso Dauide Chytręo, vel inuito, consentiente. Quantumuis namque Maximilianus Cæsar, liberalium artium studiosissimus, persæpe excitaret Principum animos ad Academias in suis ditionibus erigendas, unde leniter palpata barbaries, sicubi ferociebat, mansuesceret: séq; à corporis ad animi vires, à pedotribia ad pædiam reciperet: quantumuis Fridericus literas partim intelligeret, & non mediocriter amaret, non fuit tamen tanti momenti Imperatoris adhortatio, aut Principis innata propensio, ut semel, multis aulicis dehortantibus, primas radices Academia figeret. Cum verò Alexander Sextus, qua solent vigilantia Romani Pontifices studia, potissimùm sacra, propagare, Cardinalem Raymundum Payrandum Episcopum Grucensem, Legatum suum, suasorem adhibuit; is Ernestum, Episcopum Magdeburgensem, Friderici Electoris fratrem; coaelescere in Principis animo semina cæperunt Academiæ. Expedit Præsul cum Erasistrato, & Hærophito anatonicam facere, ut morborum speculemur origines; imprimis ubi non corporum, sed animarum salus attenditur. Si diffundatur oratio, proficiet magis, quàm si in suis fontibus obturetur. Jaciebat eandem anchoram nudatis brachijs Staupitius, cuius nobilitas, doctrina, prudentia magnam

gnam ei autoritatis, fideíque partem conciliabant. Hinc ergo urgente Ernesto, inde pulsante, quatientéque Staupitio, nutat tandem Fridericus omnino, & id ultrò desiderat: atque anno millesimo quingentesimo primo, die duodecimo Octobris, fores Academiæ primùm aperuit. Quo eodem orationem Fleccus habens, cùm ea urbs ad Albim flumen posita sit, quasi fausto omine lusit magis, quàm allusit, fore, ut deinceps ex candido fonte flumina vitæ fluerent, & sapientiæ: unde (o fallacissima præsagia hominum) paucis pòst annis nequitia dæmonis, petulantia carnis, æstu mentis superbientis usque ad contemptum Dei, teterrimi hæresum, mortiferíque gurgites latissimè inundarunt; enatarunt clamosissimæ ranæ; effluxerunt fætidissimæ fæces Acherontis: atque ex equis potiùs, quàm ex aquis, exurdantes crabrones infernales, ac mordacissimi prodierunt: eadémque schola, quæ paulò antè albentes religionis fluctus effundebat de fonte puro, iam statim cloaca euasit omnis generis sordium spurcissimarum. Quanquam enim excelsium virorum progreatrices Academiæ sint, docuit tamen experientia, quòd impijs gigantibus nuptę, hęresum monstra immania emiserint, & seditionum fœtus horrendos. Oxonica Wiclefum dedit, Pragensis Hussum, Rostochiensis Megapolitana vix octauum compleuerat annum, cum tot ciuiles tumultus peperit, ut consules exularent, & proscriberetur ciuitas; atque etiam magistratus diris pontificijs appeteretur. Benè Moscis in hoc, qui etsi multa non norint commoda diatribarum, eas non admittentes, carent tamen propterea pestilentissimis illis hominibus, quorum celebrosa ingenia, scholarum disciplinis tumefacta, perturbant pacem Reip. & peregrinis cõmentis simplices animos peruertentia, detestandis dogmatibus sępe imbuunt. Pręstaret sanè his, cum Moscis pẽdere imobiliter ab unius Phylarci oraculo in omnib⁹, quã ab

eiusmodi

eiuſmodi ſuperciliofis, inquietíſq; ſpiritibus huc illuc exagitari, ut ſolles. Wittemberga, florentiſſima, ac nobiliſſima ciuitas, antequam Academiam duceret, ſeruauit nitorem virginalem fidei, retinuit Chriſtum: ut Academiam duxit, produxit portenta illa tartarea, Lutheros, Caroloſtadios, Ionas, Crucigeros, qui crucem peſſundantes, crucifixum abiecerunt longiſſimè. Contrà accidit Academiæ Platonis, unde & ſcholæ noſtrates denominantur, quamuis in villa eſſet eiuſdem nominis in ſubpaluſtri extra Athenas loco, quaquauerſum in ſalubri: quamuis ibi nunquam Moſis, aut Prophetarum, nunquam Euangeliſtarum libri explanati eſſent. Contrà nonnullis alijs ſapientiſſimæ Európæ gymnaſijs, quæ innumeros dederunt nobis Doctores, ac Præſules, ſanctitate, atque ſapientia præſtantiſſimos: quandoquidem non ex ſeſe academicus locus, non virtutum exercitatio, ad quas nos ſcientiarum eruditio dirigit, mala procreat; ſed petulcorum hominum intellectus procax, & vitiata ad contagium uſque voluntas. Itaque Staupitius, his datis Vniuerſitati principijs, à Duce ad Papam orator mittitur, confirmationem petiturus, & priuilegia: neque exorauit ſolùm, ſed & quæcunque ad id concupiuit, abundè obtinuit: eidémque Staupitio Cancellarij electio demandata, qui ſuperior moderator eſſet, & unde graduum academicorum dignitas uniuerſa exiret. Isqué Roma reuerſus, Goſvvinum de Orſoy, hoc munere non indignum, præfecit: theologiæ verò profeſſoribus Hermanno Cæſari, & Petro Lupino præſtat doctrina, loco, autoritate ipſé Staupitius. Tum anno milleſimo quingenteſimo octauo Martinum Lutherum Erfordia Wittembergam euocatum, in philoſophiæ primùm, deinde in ſcripturæ ſacræ, atque in theologiæ profeſſorem ordinarium aſſumens, cooptauit in Collegium, & in ea facultate ad Doctoris dignitatem ſuſtulit. Quo magis factum eſt, ut

is in

is in Staupitij familiaritatem intimam coalesceret : cui & nonnullas è suis primis scriptionibus, ut suo Mecęnati, direxit, quando catholicus: quas sectatores modò, ut contrarias phantasmatibus suis, ubi locorum habere possunt, tollunt, atque inuisibiles faciunt. Videram dudum ex illis quasdam Pragę apud propolam librorum; misi statim, qui emeret; iam euanuerant. Luthero autem anno decimo septimo post millesimum quingentesimum publicè in Summi Pontificis indulgentias inuehente, & sophisticis thesibus, hanc in rem expositis, quemlibet ad disputationis arenam frontosissime prouocante, ob riualitatem cum Joanne Techelio conceptam; satagebat ardenter Staupitius rem undequaque componere : quare & Augustam Vindelicorum ad Carolum Quintum, Pontificiúmq; Legatum Caietanum, Cardinalem se contulit, imperialibus comitijs eò propterea conuocatis. At ubi re infeliciter gesta, in Saxoniam reuersus, Lutherum indies magis, magísq; Pontificem Maximum scriptis, & vocibus ferocissimè proscindentem, ac religioni auitæ postremum nuncium, maledictionibus plenum, contumaciter remittentem comperit, cœpit eum habere stomacho, mox odisse; neque amplius eius patronum deinceps egit: quinimò patriam ipsam collacrymabilem deserens, in Salisburgensem Principatum se recepit celerrimè. Matthæus Cardinalis Archiepiscopus, qui eum multò antè non vulgariter diligebat; nec parui, ob admirabiles eius ingenij vires, faciebat, suscepit illum perfamiliariter, sibíq; à consilijs statuit. Cui muneri cùm aliquandiu incubuisset cum summa laude, celebris monasterij, Ordinis Diui Benedicti, Apostolorum Principi Petro sacri, quod à Sancto Ruperto, primo Salisburgensium Episcopo, circiter annum salutis octogesimum post quingentesimum, exordium sumpsit, à monachis in vicesimum octauum Abbatem digna meritorum acclamatione

anno millesimo quingentesimo vicesimo secundo eligitur, atque à Cardinale Archiepiscopo, inexplicabili omnium lętitia confirmatur. Præest autem annis tantùm duobus, & in festo Sanctorum Innocentium, anno millesimo quingentesimo vicesimo quarto, exuitur corpore, quod in sacello Beati Viti, eiusdem cœnobij, ubi & alij Abbates, terræ datur, hoc octasticho inciso in lapide sepulchrali:

[Aspice mortalis præsentia busta iacentum;
Quid valeat fastus, diuitiæq;, vide.
Arida comperies exhaustis ossa medullis;
Fidere quid possis, ipse videre potes.
Quem probitas, quem cana fides, quem cinxit honestas;
Qui tenuit quicquid pagina sacra docet,
Abbas Staupitius tumulo requiescit in isto;
Sit precor huic requies in regione poli.]

Gentilitia ibidem stemmata in campo quadripartito, in quo binæ claues, supernè, infernéque è regione dispositæ, ut extremitatibus quadratum faciant: in alijs autem duobus contrarijs lateribus venatorium cornu, utrinque ligatum, & inferiùs [Obijt idem Doctor Ioannes de Staupitz, huius cœnobij Abbas, anno Domini millesimo quingentesimo vicesimo quinto, quinto Kalendas Januarij] Quod autem hic vicesimo quinto mortuus anno dicatur, non contradicit anno vicesimo quarto, quem nos suprà, iuxta Germanorum historias, posuimus: nam hic nouum anni initium non á Kalendis Ianuarijs, qui est mensium primus secundum Latinos, sed ab ipso die natalis Dominici ceptum est. Tria verò elogia sunt, quæ uno disticho superioris epigrammatis de Staupitio concinuntur: integra bonitas; quæ versatur circa actus interiores, cum dicitur [Quem probitas] & circa exteriores, cum additur [Quem cinxit honestas] deinde fidei auitæ puritas, & constantia illis verbis [Quem cana fides]

des] Tertio loco, literarum, & quidem diuinarum peritia, & peritia summa, eo pentametro [Qui tenuit quicquid pagina sacra docet] Hæqué Staupitio laudes ab ipsis loquentibus, atque, ut ita dicam, cantantibus lapidibus, tribuuntur: quibus laudibus an maiores de homine dici inuenias, ambigo. Cæterùm, quæ gesserit præclariora in magistratibus Ordinis; quibus studijs, casibúsque Congregationem Teutonicam auxerit; quanta gloria obierit munia Principum; quantóque animo, plusquàm Herculeo, superauerit pericula seculi sui, dicam multis, ut res postulat, in Historia magna. Interim non ita de eo silui, ut ad reliqua impatienter anheles, quo soles studio literarum: addámque etiam in Osualdo Norimbergense nonnihil. An hoc unum non excedit opinionem, atque ipsam admirationem hominum? Quando se occasio obtulerat, ut (si felicitas absque Deo est) iam esset felix; ipse, Deo tantùm retento, contempsit cætera. Quid cuperet? Suos? Saxo erat. Secum? Wittembergæ aderant. Diuitias? Cathedrales, Abbatiales, cœnobiticæ opes diffundebantur. Voluptates? Aderant flamines multò pulchriores Catharina Lutheri. Libertatem? opera satisfactoria tundebantur pugnis; vota monasticha appetebantur calcibus; Papales canones dati ignibus, transierant in fumum. An dignitates? Suspiciebatur ab omnibus; & qui primus erat in dogmatibus inuocandis Lutherus, uni illi semper cedebat. An gratiam Principum? Friderico, Duci suo, nunquam non carus fuit, & eo carior nullus. Quæ commodi, quæ iucunditatis, quæ honoris, aut ornamenti poterant inueniri, eorum pars magna contigisset Staupitio; is tamen neglectis omnibus, maluit Wittemberga exulare, quàm à cœlo: & (ut tribus dictionibus explicem) voluit mori monachus. Ad hæc. Quando Augustæ compellebantur Protestantes

factionis Luthericæ à catholico Carolo, ut afferrent in medium, quid ſentirent de dogmatibus Chriſtianis, & illi coram Imperij Principibus, Statibus, &, qui aderat, Orbe, ſuæ fidei, imò perfidiæ confeſſionem, quam Lutherus compoſuerat, expolierat Melanchthon, palàm facientes, eam alta, ac firma voce (ut gloriantur) perlegerunt, ea ſe credere aſſeuerantes, quæ in ea continebantur; non abierat in conſilio impiorum, non ſteterat in via peccatorum Staupitius; ſed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabatur die, ac nocte: ad quam non alios modò, ſed & ipſum reuocare Lutherum omnibus artibus nitebatur, in ea ipſe immobiliter permanens, confeſſor inexpugnabilis, uſque ad mortem.

Joannes Sulmonenſis, Italus, memoriam ſui Ratiſponæ retinet in tractatu De ieiunio Eccleſiæ, manu ſcripto, quem Pamphilus intermiſit. Ibidémque legitur eius expoſitio, deſcripta in quarto, ſuper Cantica canticorum, de qua Pamphilus.

Joannes Zacharias, theologus, victor Ioannis Huſſi hæreſiarchæ, roſa donatus fuit à Romano Pontifice, quam ſuis picturis manu geſtat. Defungitur Erfordiæ anno viceſimo octauo poſt milleſimum quadringenteſimum; & inter complurium inſignium Doctorum noſtrorum icones ſuam obtinet depictam Herbipoli in cænaculo Ordinis, hoc illuſtri elogio [Hic homo magnæ ſanctitatis, cum immaniſſimo hæretico Ioanne Huſſio coram Concilio Conſtantienſi pro fide Chriſti ad ignis ſupplitium certamen aggredi voluit, quem, Deo propitio, ſuperans, igne cremari fecit, atque triumphum glorioſum reportauit] Plauſibilius facinus, quàm ſi centenis linguis millena omnium ſcientiarum volumina compoſuiſſet: princeps facinus, cui meritò roſa, regina florum, à Regum Rege Pontifice offer-

offerretur: palæstra nobilis, in qua palæstrita augustus fores omnium gymnasiorum aperuit. Quid Scipionum? quid victoriæ Cæsarum, si cum hac una Zachariæ conferantur? Armis vicerunt illi, hic literis: illi terra, marivé, ubiubi casus attulit; hic in urbe Augustali; in generali Antistitum conuentu; spectante Orbe: illi pro vindicandis iniurijs, pro subiugandis rebellibus, pro augendo Reip: ærario, pro consternendis Romano Imperio Prouincijs peregrinis; hic (ut uno dicam) pro fide catholica. Fxpende omnia, confer cum fide catholica, & dic, quanti valeant. Equidem licèt plurimos tum Episcopos, tum Doctores nostros hoc breue complectatur Abecedarium, præ multis (excusent velim) de Zacharia Hussiomastice glorior. Si tot beatos Christianæ fidei confessores cœlesti honorat triumpho, & gloriosis æternæ felicitatis coronis donat munificentissimus agonothetà Deus, cur non Zachariam? Zachariam fidei propugnatorem? pro fide ad ignes accinctum? in fide victorem?

Jordanus Saxo, à Quintelingemburgo, vir dignissimus, qui præsertim Saxonibus proponatur; Galliam, & Italiam tum literarum causa incoluit, & Bononiæ sub Ioanne de Lana, Baccalaureo, Priore, ac Prospero Rhegino, gymnasij Regente, & Lutetiæ, ubi ipse quoque Ioannes Regens fuerat, atque alijs in urbibus, sub alijs eruditis scientiarum professoribus dedit omnem operam literis: tum verò ob vestigandas Ordinis antiquitates, deditissimus ad acta nostrorum Fratrum purè describenda: quare & Reati sepulturam honorauit beati nostri Joannis, de quo centum quinquaginta miracula refert contigisse eodem anno eius obitus; & Viterbij interfuit piæ dormitioni Ioannis Viterbiensis, quem ex centum & ultra annis, quos vixit, octoginta vixisse ait vitam, reprehensione indignam: atque

eandem ob rem ſcripſit Apologiam Ordinis, & Vitam Sanctæ Monicæ, ac opus religioſiſſimum, quod nuncupauit, Vitas Fratrum, in quatuor libros, iuxta quatuor genera communionum, diſpenſatum, quod ad Ioannem Argentinenſem direxit hoc initio [Spiritualis pulchritudinis amatori] Tum verò ob Ordinis munia, quorum cauſa ſæpè in comitijs generalibus ſuæ ætatis interfuit, & Galliam laborioſiſſimè peragrauit. Fuit in theologia ſpeculatiua acutus, in quam plurimas poſteris quæſtiones dereliquit: in Scriptura ſacra verſatus, quare Apocalypſin commentatus eſt: in arte concionandi feruidus, & facundus, ut liquet ex Quadrageſimali eius, quod excriptum legi Monaci, & incipit [In hodierno euangelio] Ex ſermonibus de Tempore, quibus initium dedit ex tertio Ioſue [Iordanis ripas aluei ſui, tempore meſſis impleuerat] & Argentinæ impreſſos anno milleſimo quadringenteſimo octogeſimo tertio legi Moguntiæ: atque ex libris ſermonum de Sanctis, quorum primus incipit ſecundum Thritemium [Ecce dabit voci ſuæ] Alter verò ſecundum Pamphilum [Dan catulus] qui Pariſijs eſt impreſſus. Fuit item valde contemplatiuus, quemadmodum ex his apparet, & ex opere de Paſſione Domini, quod incipit [Inſpice, & fac] Atque optimè calluit iura Pontificia, quibus ubertim opera ſua compleuit, & præ alijs librum, Vitas Fratrum. Nihilominus non alio, quàm Lectoris gradu, tantum virum inſignitum legi: nam & cum eſſet Prior Prouincialis Prouinciæ ſuæ, Lector erat, ut ex eius monumentis habetur. Sed hoc non inde, quia Magiſterij dignitas, & ipſemet Baccalaurei gradus non ita populariter conferri primùm ſolebant, ſed viris tantummodò eruditiſſimis, & longè optimis; nam cur propterea non omnes gradus conferendi Iordano? verùm ob eius profundiſſimam humilitatem. Malebant enim ſanctiſſimi illi Patres eſſe Magiſtri, quàm nominari; mereri

mereri magisterium, quàm ambire. Erat Prouincialis suæ Prouinciæ anno uniuersalis iubilæi, nimirum millesimo quadringentesimo: & quamuis magna officium charitate exerceret, procliuior tamen erat ad rigorem monasticæ disciplinæ, ut ex pluribus gestis eius habetur, ab eoipso ex occasione interdum commemoratis: ut, exempli causa, circa illum monachum ingenuæ nobilitatis, qui etsi leuiter, petulantérq; apostatasset aliquot menses à monasterio, rediens tamen ultrò ad Iordani pedes, compunctus, humilis, misericordiam petens, non blandis tamen exceptus verbis, nec tandem carceres ei debitos, pænámq; euasit. Et quidem iustè simul, ac piè: nam cum uni nimiùm indulgemus, qui palàm labitur, alijs, qui eius exemplo corrumpuntur, crudeles sumus. Sed quæ Iordani sanctitas? Non suos duntaxat Europæ Patres antesignanos, sed & Asiæ monachos vetustiores, quorum acta religiosissima perpetuò meditabatur, in omnibus, siue diceret, siue faceret, præclara semper æmulatione, proximè prosequutus est. Inuocationi, & precibus totus erat. Quamobrem casibus sæpissimè aduersis exercebatur á Deo, ut sæpiùs peteret; & peticis, ad miraculum usq; potiebatur, ut repeteret confidentiùs, repeteret dulciùs. Traijcit, una dierum, undantissimum amnem: frangunt fluctus sua vehemētia carrum; profligant equos: rapiunt Lectorem comitem, atq; absorbent: rapiunt & ipsum tandem Iordanum in plaustri fragmine, & longo cursu, quasi vehentes, ibi dimittunt, ubi piscator improuisò apparens, in cymbam sustulit. Quo miraculo? quia Mariam Jordanus inuocauerat, eíq; vouerat quicquid suggesserat pietas [Cùm ceciderit, inquit psaltes, Ps: 36. non collidetur, quia Dominus supponit manū suā] Et sequitur [Iunior fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictum] Non prima hæc, nec postrema ærumna. Alterum

amnem

amnem vice altera transmissurus, non minus rapidum, maiori planè miraculo seruatus est. Effringuntur, aquarum impetu, porthmei vires: pellitur cymba: trans pontem rotatur: explosa, impingit in scopulum: oppletur aquis: Prouincialis natando salutem quærit, & alter monachus: excipiuntur in lembum à piscatoribus: Jordanus, expers natationis, & superstes monachus exanimatus insistunt cymbæ, ab ijs, qui opem ferre poterant, procul. Vna hic salus, nullam, nisi à Deo expectare salutem. Iterat homo Dei orationem angelicam; &, velut esset in oratorio, dicebat semper Aue Maria. Dictu mirum: quæ plena erat amne nauicula, non obruitur: tanto pondere non summergitur: tantis agitata fluctibus non mouetur: tanta aquarum confluentia non defertur: donec ijdem piscatores properantes saluant. Sed quæ maria demergerent hominem, pendentem de cœlo rudentibus tenacissimæ charitatis? In aquis hæc patrata miracula, num non in terris? cum Prouinciale nunc erat, quid cum ipse Prouincialis? Mos est Germanis, aut carris itinerari, aut curribus; maximè ob equorum copiam, quibus & terram colunt, atque ob rusticorum obligationem, qui fundorum dominis cum in ciuilibus, tum in plerisque criminalibus causis subiacent; exercentúrq; à pueritia in regendis ad culturam, & ad rem domesticam equis; qua de re quique norunt aurigationem. Vehebatur ita Iordanus Prouincialis, uno contentus monacho pro comitatu, fortasse visitans monasteria: aggrediuntur inopinatò latrones: expoliant carrum: surripiunt equos: aurigam tollunt: conducitur alter cum nouis equis ex pago proximo: iungũtur eidem plaustro, iam compilato; fessi diurnis laboribus, vix rotas trahunt: descendunt ambo præituri ad urbem: angitur Jordanus de aurigante, ubi eum non ultra videt: mittit comitem, ut exploret: expectatus condicto loco, non redit: nox

est:

eſt: hyems eſt: Pergit vir Dei ad urbem, non viſam, quà ducit oculus mentis: in pontem incidit; canes utrinq; latrantes, & iam mordentes: anguſtiæ undique: quid tunc Iordanus? Ad conſueta arma confugiens, orare cæpit, & cordis vocibus inuocare, illúdq; dicere pſalmi viceſimi ſecundi [Erue à framea Deus animam, & de manu canis unicam meam] Quo dicto obmuteſcunt protinus canes, & manſueſcunt: peruenit ipſe ad urbem: clauduntur omnia, ſed illi vigilat Deus: intromittitur auxilio quodam à bono viro in caſam ſuam antemuralem: ecce pulſantur fores ab auriga, exítq; eodem modo Jordanus, & illi iungitur: ecce per aliam ſemitam, quem miſerat, monachum; ecce aurigam priorem, à latronibus interceptum: ecce introducuntur omnes apertis foribus: ecce poſtridie, quæ ablata fuerant, reſtituuntur ſingula. Vna mediæ noctis hora, in eandem urbem, in eandem urbis portam conueniunt quatuor diuerſis caſibus diſperſi homines; nulla hominum, nulla equorum, nulla rerum iactura. Vnde hoc, niſi à Deo, apud quem tanti erat Iordanus? niſi à Dei genitrice, quam etiam atque etiam implorauerat? Non egent Superi bonis hominum, at hominum precibus ad eorundem beneficium delectantur. Eccli: 40. Tibiæ & pſalterium ſuauem faciunt melodiam, & ſuper utraque lingua ſuauis. Permeabat deuotiſſimus Pater, ut dicebamus, Galliam, obſequens Ordini; penetrauerat Lugdunenſem; ad Turios venerat; corripitur febri; Turonémque nihilominus, veneraturus Martini Sancti reliquias intrat; inde ad Andegauos. Non remittitur interim febris, ſed augetur; volutat animo, ubinam febrire inceperit: in territorio Turonenſi ægrotatio, à Turonenſi Sancto ſanatio: ad Martinum ſtatim ardenti corde conuertitur: vouet: pollicetur hoſtias: obſtringit ſe perpetuùm ad eius quotidianam commemorationem: eiuſdémq; imaginem tutelarem in ſuo

conuentu

conuentu depingendam ſpondet. Hora acceſſionis, loco febris, accedit ſomnus, & cum ſomno priſtina ſanitas. Manaſſe hæc à Deo opitulante, prodijſſe ab intercedentibus Sanctis, res ipſa loquitur, ſed uno hoc confirmabo. Cùm eſſet idem Prouincialis, graſſabatur ferè ubiq; terrarum lues ſœuiſſima: urgent hinc inde Fratres: iubilæum trahit: peſtis expellit: peregrinari ad Vrbem omnes deſiderant: vetat is, ne cœnobia deſolentur; Vrbanas deuotiones in cœnobijs ipſis inſtituit: peragit & ipſe ſanctiſſimum inſtitutum: vouet Petro Apoſtolo peregrinationem ad eius limina: abit peſtis: obliuiſcitur voti. Apparet Petrus ſeni ex monachis, qui à Romano eius ſanctuario redierat, & Iordano erat à confeſſionibus & hoc tantùm [Dicas Iordano Lectori, ſe non ſtetiſſe promiſſis] Reuelat deuotus homo oraculum: præſtat Iordanus opere, quod promiſerat. Beatiſſimum virum, quem tanti faciebant Beati: qui Petro, qui Martino, qui Mariæ adeo cordi erat. Non mea hæc commenta Saxones; non à leui vulgo excepta; non à ſcriptore nullius fidei deſumpta: ipſe hæc omnia Iordanus refert in Vitis Fratrum. Ego inde conciſè, & ſobriè. Sed hæc, & alia in eius vita (ad lectionem prouoco) copioſiſſimè. Celebrant eum meritiſſimò beatum hiſtoriæ: celebrat eum unus omnium myſtarum Ordinis conſenſus: eius libri, eius opera beatum prædicant: Beatis denique aſſociat Seripandus, autor ſummæ autoritatis, in elencho chronici ſui. Floruit anno milleſimo quadringenteſimo nono, ſiue triennio antè, ut collocat Supplementum Iacobi. Sepelitur Viennæ (ut ibi dicam) intra ſepulchrum Thomæ, atque Gregorij, Ordinis Generalium: quod unum, quanti erat Iordanus, ſatis comprobat. Itaque ea viſio, quæ Fratri noſtro incerti nominis facta eſt, de unione Filiorum cum ſuo Patre Auguſtino in Ticinenſi baſilica, de qua viſione meminit ipſe Iordanus libro primo De vitis Fratrum, capite decimo

mo octauo, vix potest de Iordano interpretationem ullam recipere: nam si Ioannes Vicesimus secundus unionem illam fecit anno vicesimo septimo post millesimum tricentesimum, & reuelatio unionem præcessit, etsi accidisset eodem anno, tamen magna est temporis distantia ad eumusque annum, quo vigebat Iordanus; videlicet annorum octoginta unius: & vel centenariam eum attigisse ætatem credendum esset; vel ei, non dum monacho, & admodum quidem puero, visionem factam. Præterquam quòd Jordanus multa, quæ de se dicturus erat, & ea quippe ingentis gloriæ, cuiusmodi sunt, quæ iam retulimus, liberè dixit; syncerè, distinctè, copiosè; addo etiam, sine scrupulo; cur non & eam visionem, si ei facta fuisset, sibi factam dixisset? Non id solùm; multa alia in campum attulit, suppressis sæpè nominibus; neque propterea de ipso omnia intelligenda.

Isaias Polonus, doctor theologus, eruditione suis temporibus nulli in Polonia secundus, vita functus anno septuagesimo primo à millesimo quadringentesimo, sepelitur in sacello nostro Sanctæ Dorotheæ monasterij Cracouiensis, ubi exedra. Habet lapis tumularis effigiem eius hoc Hypocratico aphorismo, admodum rei accommodato [Tempus breue, iudiciúmque difficile] Circùm verò [Anno Domini 1471. obijt Venerabilis Pater Isaias, sacræ theologiæ professor] In eius memoriam, laudémque Iacobus Moyschius Prouincialis, & Fratres lapidem ad parietem cum marmorea vultus statua hoc inciso decasticho erexêre:

[Lechiadum claro progenatus sanguine Doctor.
Esaias isto sarcophago tegitur..
Ne lector mirêre, manet sors omnibus una,
Doctos, indoctos falx metit, urna capit.

Hoc opus, & labor, Elisijs ut sistere campis
Detur, & ad superos scandere cœlicolas.
Viuis ubi semper lætus Pater optime, viuis,
Esaia, nostræ Relligionis honor.
Viue memor nostri, vitæ discrimina multa
Inter, & æternos duc Pater alme lares.]

Audiuit tamen & ipse latratus canum diebus suis, ut in synodalibus Firstenfeldensibus anni millesimi quadringentesimi tricesimi quarti. Quantis morsibus, bone Deus, meliora ingenia appetuntur? sed cynocephaleam ad singula ęmulantium venena efficacissimam habet virtus, virtutem ipsam. Nullo iaculo ita sauciatur inuidus, ut virtute; nullo item insanabiliùs confoditur, ut eadem.

Kazæ in Hungaria monasterium titulo Sancti Ioannis Euangelistæ, nunc amissum. Georgius Lorandius, Dominus oppidi, donat monachis moletrinam annò millesimo quadringentesimo sexagesimo octauo, & Thobias de Serkę decimas oppidanas anno pòst decimo septimo. Recentiorem memoriam non inuenio; nec vetustiorem quidem. Scripturas habet archiuum nostrum Brunense.

Krasnystavv, vide Crasnostauia.

Kulembachiensis cœnobij mentionem reperi Ratisponæ in Romanis literis Gratiani Fulginatis, Vicarij Apostolici, de collectis soluendis, ad quatuor Priores Germaniæ, Kulembachiensem, Monacensem, Norimbergensem, & Mindelhaimensem, datis anno millesimo quingentesimo die vicesimo octauo Aprilis: propterea quòd reformatione galeati, Generali tesseram obedientiæ à nonnullis annis periuri remiserant. Quocirca Alexander Sextus eodem anno commissarium delegat Erasmum Abbatem Sancti Emerami Ratisponensem Ordinis Benedictini; qui statim respondit, se non posse in causa agere quippiam lege iudiciaria,

ciaria, cùm loca illa iam ab Ordine suo desciuissent.

Kurche, Sarus aliôqui vocata, in Hungaria, monasterium habebat tituli Sancti Stanislai. Ladislaus Rex donat monachis hortum; fundum in castro Tubel; fœnetum; & annuos quinquaginta acones frumenti, totidémq; brasij de clicio regali: Budæ, anno Christi millesimo ducentesimo septuagesimo quarto, regni eius secundo. Confirmant donationem successores eius, Carolus anno millesimo tricentesimo vicesimo nono, & sexagesimo quinto pòst anno Luodouicus. Literæ seruantur Brunæ.

Launghingh, in Sueuia, suscepit comitia Ordinis generalia anno millesimo quadringentesimo tertio sub Nicolao Saraceno, Generali; ubi (credamus Pamphilo) multi nostrorum Fratrum, belli sæuitia interierunt. Vacat.

Laurigense monasterium ad Danubium, ditionis Palatinæ, Prouinciæ olim Rhenanæ, nunc, ut alia catholicorum fana, profanatum.

Leonardus Carinthius, diuinarum literarum apprimè eruditus, ac perpetua memoria dignus, requiescit Viennæ in Austria prope Ioannem Saxonem in templo nostro, quod sanè sacrum mausoleum est, non temporalium Regum, sed regalium sacerdotum, sed Antistitum, ac Doctorum venerabilium: quorum aliquot ibidem celebrat tabella pensilis, perantiqua; & hunc meritò inter illos, hoc disticho:

[Atque Leonardum, Carinthia quem, quasi nardum,
Diffudit, tenet hic proximus ipse locus.]

Lithumislia, Bohemiæ urbs, quam Leuthmischl, Lythomisl, Luthomissel, & Leitomischl scriptam inuenimus, non vario etymo, sed nunc vicinitate sermonis patrij aut Germanici; nunc imitatione Latinitatis; nunc veriùs, corrupta hominum vulgarium, inconstantíq; licentia; olim cathedralis,

dralis,nunc ſubiecta in ſpiritualibus Archiepiſcopo Pragenſi; cœnobio Sanctæ Crucis decoratur,à Ioanne Nouoforenſe,Epiſcopo temporis Lithumiſlienſe , deinde Olomucenſe,& Caroli Quarti Cancellario piè fundato. Ad cuius Cæſaream interceſſionem Innocentius Sextus Generali, & Fratribus noſtris, ſumendi eiuſmodi monaſterij facultatem tribuit, Auenioni, Nonis Februarijs, Pontificatus ſui anno quarto. Ipſe autem Ioannes, & Capitulum eius anno ſexageſimo quarto à milleſimo tricenteſimo donat monaſterio curiam Herlech,& piſtrinum,cum agris, paſcuis, aquis,& quibuſcunque ad eam attinentibus. Anno pòſt quintodecimò, Henricus, Dominus in Drevvtzitz, Capitaneus Olomucenſis largitur cœnobio villam Letnam, cum omnibus ruſticis, cenſibus,& fructibus,pleno,perpetuóque iure, atque dominio. Aderant eo tempore hi Patres,Laurentius Brunenſis, Prior; Petrus Lithumiſlienſis, Lector; Iacobus Brunenſis, Supprior; Ioannes Kartus, Æditus; Simon Lithumiſlianus Procurator; Matthæus Kartus; Auguſtinus; Bartholomæus; & Procopius,Cantores; & Fratres alij. Eos autem dicebant Cantores,qui non alij muneri domeſtico, quàm chorali,erant addicti. Obſeruandúmque præferri Lectorem Suppriori,tantus erat is gradus olim,tantúmque Lecturæ officium. Anno eodem,ſcilicet milleſimo tricenteſimo ſeptuageſimo nono,Pileus Cardinalis Sanctæ Praxedis, Hemerito fundatore ſacelli Mariæ Virginis ſupplicante, erogat indulgentias centum annorum,viſitantibus idem ſacellum. Triennio pòſt habetur ibi conuentus prouincialis Ebrhardo Priore; &, hinc quadriennio, Hinco Epiſcopus Ladimirenſis,Ordinis noſtri,Letnam villam ea lege conducit, ut redeat ipſo defuncto ad monaſterium. Modò eccleſia euaſit parochialis. Scripturarum,quæ horum meminerunt,magnam partem vidimus Pragæ apud noſtros.

Lubia-

Lubianensis monasterij Sancti Iacobi in Carniola, literas inuenimus datas anno tricesimo sexto post millesimum quingentesimum ad synodum prouincialem Viennæ habendam: quo tempore, cùm duo saltem adessent Patres in conuentu, compromissum electionis fecerunt Patri Prouinciali: rationésque Prioris defuncti, unâ cum sigillis monasterij, ad diffinitorium mittunt. Pertinebat ad Districtum Styriæ, & Carinthiæ: deinde ibi xenodochium institutum, facta permutatione cum Abbatia tituli Sancti Iacobi, quæ unita est monasterio Fluminensi. Demum eò Patres Societatis Iesu.

Ludolphus à Camosllaria, in theologia Lector, floruit ætate Beati Iordani Saxonis; eóque hic utebatur summè familiariter: quare eius honorificè meminit libro secundo, capite octauo De vitis Fratrum. Fuit enim Ludolphus in magistratu prouinciali seuerus disciplinæ claustralis restitutor; in sacrorum lectione librorum infatigabilis; & proinde codicum omnium, quibus bibliothecas farciebat, auidus conquisitor; sed super omnia hæc, probatissimæ vitæ, ac deuotissimæ. Quo factum est, ut nocturnum Natalis Dominici, quo solebat in suis assiduis precationibus feruore, sacrum faciens, videret in calice ex interna labri parte, dum hostiæ fragmen signo crucis in calicem de ritu immitteret, illis verbis, Pax Domini sit semper vobiscum, stillare leniter nitidam aquam, sacróq; sanguini immisceri: quam rem cum admiratione considerans, reuocauit in mentem ea Christi verba apud Ioannem capite quarto, Qui biberit aquam, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Ea propter & ipse vices tantarum gratiarum rependens, pro guctis guctas, pro aqua aquam, in lacrymas soluens, consummauit de more sacrificium, tam nobili miraculo insignitum: & quod

quod acciderat, Iordano ſuo, ut alia ſolebat arcana, aperuit.

Marech, ſeu Marchek, urbs Hungariam verſus, diæceſis Patauienſis, itinere unius diei à Vienna Auſtriæ diſtans, ſpectánsq; ad familiam Lanthauenſem, ædificat monaſterium in honorem Diui Patris Auguſtini, anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo octauo: quo ciues aream monachis donant, & Epiſcopus Baradienſis templum conſecrat: quam conſecrationem Petrus, Antiſtes Patauienſis, quadriennio pòſt confirmat; & Vlricus agnomento Monachus, vineam in Schokondorf cœnobio cedit. Largitur indulgentias Incelerius noſter, Epiſcopus Budenſis, anno octogeſimo quinto à milleſimo ducenteſimo. Et biennio pòſt Sifridus Colonienſis Archiepiſcopus; Arnoldus Bambergenſis, Fridericus Corenſis, Conradus Argentinenſis, Sifridus Auguſtanus, Rembotus Eiſtadienſis, Conradus Tholenſis, & Bruno Brixenſis, Epiſcopi. Hinc ſeptennio Benedictus, Epiſcopus Albenſis: & ſequenti anno Rogerius, Sanctæ ſeuerinæ Archiepiſcopus, Guillelmus Callenſis, Bonifacius Parentinus, Stephanus Oppidenſis, Maurus Amelienſis, Franciſcus Tarracinenſis, Manfredus Sancti Marci, Franciſcus Fanenſis, Sabba Militenſis, & Perronus Alarinenſis, Epiſcopi. Triennio pòſt Antonius Epiſcopus Canadienſis. Demum anno milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo octauo Laurentius Epiſcopus Ferrarienſis, Legatus Apoſtolicus per Alemaniam. Poſt hunc annum nec Brunæ, nec Viennæ, nec uſpiam aliud de eo legi. En quanti faciebant indulgentias Patres noſtri, quot gratijs Marchekano conuentui obſecundabant Pontifices, quapropter tot indulgentiarum largitores referre volui. Tu inde antiquam Teutonum, quam non multò ante celebrauimus, pietatem, agno

ſce ; ac decumbentis monaſterij vel micantes fauillas cerne, vel ſaltem ſenti calentes cineres. Siquid ultra referre vellem, hiaret ardore calamus. Deſideratur utique, ſed turbulentis regni defectione temporibus : non quidem à multo tempore ; nam anno milleſimo quingenteſimo triceſimo ſexto confirmatur in comitijs Prouinciæ pro Priore Leonardus.

Martini Lutheri hæreſiarchæ vitam leges ſeorſum in libro, quem inſcripſimus De caſu Lutheri : nunc de eo, ut ſuaſit occaſio, attigimus pauca; quemadmodum in Ioanne Staupitio, in Michaële Stiphelio, in Norimbergenſi monaſterio, & alibi. Sicut enim rhetoris eſt non tantùm benedicta, ſed & mala, indicare oratione, ut aiebat Qu. Fabius, ita & hiſtorice, veritatem, ubicunque inueniat, patefacere. Nec minùs inſcitè, quàm ſcitè canentes, oſtendebat auditoribus ſuis Iſmenias, tibicinum maximus, Ad hunc modum canere oportet, dicens, ad hunc nequaquam. Non tacuit Moſes Caini fratricidium, aut corruptionem uniuerſæ carnis ante diluuium ; non pentapolitana flagitia, prouocantia cœlum ad flammas ; non Hebræorum idololatriam, & ſexcenta alia facinora exormiſſima improborum hominum. Notauit Ezechiel ruinam Luciferi ; Euangeliſtæ proditionem Iudæ. Diſſeruit Ioannes de Antichriſto ; Anſelmus de caſu diaboli. Atqui habes calybæum thoracem in apologetico eiuſdem operis contra ſannoſos.

Matthæus de Corvviſt Prouinciæ Saxoniæ, ſcripſit De triplici aduentu Verbi ; in carnem, in mentem, & in iudicium, librum prægrandem, quem in tres tractatus, & duodecim ſupra centum diſtinctiones diſpoſuit. Proæmij thema eſt [Et veniat ſuper me miſericordia tua Domine, Pſal. 118. ſecundum eloquium tuum] Primi tractatus principium eſt

[De primo eius aduentu, hoc eſt, incarnationis myſterio] Compoſuit item De indulgentijs librum ſuper thema euangelicum[Quodcumq; ligaueris ſuper terram, Mat:16] Eiúſq; initium eſt[Duos fines ultimos futuros in fine ſeculi] Expoſitionem quoq; ſymboli Athanaſij luculentam, quæ incipit [Intellectus humanus à rebus ſenſibilibus] Item De Corpore Chriſti tractatum magnum ſuper illud [Homo quidam fecit cænam magnam, Luc. 16.] Prima verba ſunt [Ad commendationem pretioſiſſimi] Porrò Expoſitionem orationis dominicæ in Matthæi ſextum [Sic orabitis] Et incipit [O quàm ineffabilia effuſa ſunt] Hæc eius opera, deſcripta in folio, legi Monachij.

Mauritius Tertius, quæratur in Viepachio.

Melnicium, quod Melnik vulgo, urbs dotalis Reginarum Bohemiæ, ſitu placido, & ſolo vitifero, quatuor à Praga milliaribus eius regionis. In ſuburbio monaſterium extruunt Zmilo miles de Cetovv, & Paulus de Luſcenicz, eccleſiámq; Diui Laurentij, iam olim ſacro cultui mancipatam, cum omnibus agris, paſcuis, naulo propè labentis fluminis, piſtrino, cæteríſq; ad eam pertinentibus, donant iure gentilitio Patribus noſtris. Othakarus, Bohemorum Rex, donationem confirmat anno milleſimo, ducenteſimo ſexageſimo octauo, Erogant eccleſiam viſitantibus, indulgentias Cunradus Epiſcopus Firſienſis anno antecedenti, Tholomeus Epiſcopus Bardanenſis Ordinis noſtri anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo quarto, Thobias Epiſcopus Pragenſis quartodecimo inde anno, & alij. Anno verò milleſimo quadringenteſimo ſexto, VII. Kal. Julij, aderant in cœnobio hi tredecim Fratres, Andreas Prior, Valentinus Supprior, Stephanus Sacriſta, Petrus Mlada Procurator, Nicolaus de Myza, Matthias, Clemens, Ioannes Proles, Nicolaus organicus, Nicolaus de Alba,

Wenceſlaus

Wenceſlaus,alius Nicolaus, & Iacobus. Poſt varias regni Bohemici perturbationes,de quibus PiusÆneas,& Coclęus, inter quas, ut alia quæcunque cœnobia, iacturas ſuas, flammas, expilationes, ſuorum interneciones lamentabiliter ſenſit,ſuperſtes adhuc : vendicátq; iura eius à multis, illúdq; reſarcit Magiſter Gabriel Caribdius Prior.

Michaël Stiphelius ex Iſlingo monaſterio, Lutheri aſſecla, & preco rabidus,librum effinxit De Danielis,& Apocalypſeos numeris, qui in arithmeticis de Coſa extat; cuius meminit doctus Serarius libro primo De Lutheri magiſtro.Indignamur? non iniquè.Ordini? abſque cauſa.Prælatis? minus. Quibus? ijs ipſis apoſtatis,ijs ſi indignemur, libeat.Erant & pſeudomonachi florentiſſima illa tempeſtate Sanctiſſimi Patriarchæ Auguſtini; de quibus ita ſe, Præpoſitósq; cœnobiorum in pſalmum undecenteſimum purgat [Quid dicturus eſt mihi quisquis talibus locis fortè præeſt, imò ſeruit Fratribus in his, quæ monaſteria dicuntur? quid dicturus eſt? Cautus ero; nullum malum admittam. Quomodo nullum malum admittes? Nullum hominem malum, nullum Fratrem malum, intrantem, admiſſurus ſum; cum paucis bonis benè mihi erit. Vbi cognoſcis,quem fortè vis excludere? Vt cognoſcatur malus,intus probandus eſt; & probari, niſi intrauerit, non poteſt.Repelles omnes malos? Dicis enim, & noſti inſpicere. Omnes nudis cordibus ad te veniunt,qui intraturi ſunt? Ipſi ſe non nouerunt,quantò minùs tu? Multi enim ſibi promiſerunt, quòd impleturi eſſent illam vitam ſanctam,in commune habentem omnia; ubi nemo dicit aliquid ſuum; quibus eſt una anima, & cor unum in Deum; miſſi ſunt in fornacem, & crepuerunt. Quomodo ergo cognoſcis eum, qui ſibi adhuc ignotus eſt? Excludes malos Fratres à conuentu bonorum. De corde tuo, quiſquis

ista dicis, omnes malas cogitationes, si potes, à te exclude; non intret in cor tuum vel suggestio malà. Non consentio, inquies. Sed intrauit tamen, ut suggereretur: nam omnes munita corda habere volumus, ut nihil intret, quod malè suggeratur, unde autem intret, quis nouit? Et pugnamus quotidie in uno corde nostro; unus homo in corde suo cum turba luctatur: suggerit auaritia, suggerit libido, suggerit voracitas, & ab omnibus auersatur; difficile est, ut non ab una aliqua feriatur] Verissima, accuratissima, sufficientissima omnibus ad hæc obiectionibus apologia: & eius temporis, cum suam ageret infantiam Ordo: & eius Autoris, qui & primus Parens. Expostulatio æquissima cum eis, qui nil probiùs norunt, quàm improbè baubari in monachos. Licèt ad numerum locustarum exuberent deformissimi fœtus, quos impius Saxo sicophanta progenuit, quos aliunde Orcus euomuit, unus Ordini nostro, unus omnibus Ordinibus monachorum, si alij non essent (sunt autem plurimi) esset satis. Nolo ex nostris testimonium afferre (afferrem enim facilè ex toto Orbe) ab ipsis aduersarijs suffragium vel extorquens promam. [Plus valet unus Augustinus, ait Franciscus Stancarus, quàm centum Lutheri, ducenti Melancthones, trecenti Bullingeri, quadringenti Petri Martyres; qui omnes si in mortario contunderentur, non exprimeretur una uncia veræ theologiæ] Sanè dixisset breuiùs, Plus valet unus Augustinus, quàm omnes unquam hæretici. Siue meliùs, absque ulla comparatione: Vnus valet omnia Augustinus, omnes hæretici nihil. Malleus hæreticorum dicitur Augustinus ab Ecclesia, quo omnes hæreticorum ceruices decuti possunt, & excerebrari. Vna eius doctrina ad confutandas omnes omnium hæreses sufficit; in quem modum se scripsisse asserit in præfatione libri De hęresibus ad Quoduultdeum [Ego verò, ait, hoc magis volo facere, si & Deus velit, unde

possit

possit omnis hæresis,& quæ nota est,& quæ ignota vitari: & unde rectè possit,quæcunque innotuerit,iudicari] Solida est Augustini doctrina,pura,secura,elegans; fæta conceptibus, elata phrasibus,comata, cincinnata vocabulis; diuino spiritu plena; sacris decorata sententijs: in materijs varia: in varietate concors: in veritate stabilis: in argumentis acuta: in expositionibus florida: in confutationis genere vehementissima; titillans semper aures, mulcénsq; rythmis frequentibus: ut eius lectio centies,atque iterum repetita, nunquam fastidiatur. Mihi verò ita accidit, quando Augustini periodum aliquam, suppresso autoris nomine, siue lego, siue audio,statim dico,Est Augustini. Simul sentio docentem,delectantem,afficientem; imò & suauissimè vulnerantem. Quod ipse antè in Isaiæ, ac Pauli lectione expertus est, hoc nos in eius subinde scriptis experimur. Roterodamus autem æmulatu quidem est eloquentiam eius, pietatem minimè: ísq; prima (ne Stiphelium in omnibus onerem) zizaniorum semina iecit seculi sui: natísq; dissidijs, nunc Ianus bifrons, nunc Protheus mutabilissimus visus est: de qua re multis cum eo expostulauit bonus Comes Carpensis, Albertus pius: & licèt ille à tanta nota omnibus spongijs se purgare studeret,cælari haud potest, quin ferè omnia scripta eius in morsus Cynicos aut morum,aut studiorum alienorum resoluantur: quod habuit cum suo Valla commune; cuius librum aculeatum scripturalium interpretationum, Venatorij nomine imposito,palàm fecit. Eadémq; ad Albertum responsione, ubi locorum id magis agere nititur, ut à mordacitatis vitio se extricatum reddat, aut saltem appareat, mordacissimus ita ut callidissimus de more suo sentitur. Excidant testimonia reliqua, unum illud ad conuincendum Erasmum sufficiat eius, qui ab eodem dictus est [Ratio,seu methodus compendio perueniendi ad veram theologiam] in quo tametsi

mersi imitatus est Augustinum in multis; qui quatuor in idem argumentum libris, quos De doctrina Christiana nuncupauit, abundanter disseruit; tamen quæcunque ex sua bili atra Erasmus miscuit, eadem nunc philosophos Christianos, theologos, & quos vocamus scholasticos incessunt; nunc monachatum, præcepta Ecclesiæ, opera satisfactoria; nunc item Episcoporum vitam, confessorum, concionatorum, clericorum omnium. Quam fuisse cantionem Lutheri quis neget? Facilè homines in censura morum alienorum occupantur, qui nec semel in suos inflectunt oculos. Ecquid de Moria? quam etsi bonus homo perlongo, atque etiam ciuili excusaret apologetico ad dictum Comitem; non potuit nihilominus eam non prodere, qualis erat, salacem, nugacem, aulicam; &, quod magis scenicum est, ludicram; sed simul impiam, sacrilegámque Committo silentio pasquillarem illam censuram augustissimæ regulæ nostræ, imò omnium penè Ordinum regularium, consutam sacris operibus Augustini, quæ ille inani quadam pædagogia recusit, &, ubi arripere occasionem potuit, Erasmiana obtrectatione respersit. Tempus erit, cum de operibus, déque ipsa regula Beatissimi Patris in prima Historiæ parte pertractantes, iurgiosa commenta Erasmi discutiemus. Hoc unum exploratissimum est, nihil ita eius naribus putuisse, ut monachismum: fortè quia ter monachus, in nullo potuit monachatu persistere. Quid quæso impudentius, quàm quod dicit, nuspiam Augustinum se dixisse monachum? quòd quæ nominat Augustinus monasteria, non fuerint monasteria? quòd quæ data est fæminis viuendi norma, mutatis, quæ mutari poterant, quibusdam etiam reiectis, effecta sit pro viris? Et illud omnino radiculum, fæminarum duntaxat illam regulam esse, quòd in fine agat de speculo, ubi dicitur [Vt autem in hoc libello, tanquam in speculo, possitis inspicere] quasi non librum

brum ediderit Augustinus, quem vocauit Speculum, nec tamen dixerit ad fæminas. Quasi similitudo specularis non conueniat viris; cum tamen Diuus Iacobus in ipso principio Epistolæ suæ dicat [Siquis auditor est verbi, & non factor, hic comparabitur viro, consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo] sed fortasse stramineam censet Iacobi Epistolam cum Luthero. Negare haud valuit, regulam illam stylum referre Augustini, & ciuilitatem. Negare haud valuit, sanctimonialibus missam: cæterùm condonandum est illi aliquid propterea, quòd non semel, neque unius Ordinis monachus fuerit, & certè ex ijs, qui sibi totum Augustinum usurpant, odióque implacabili in monachatam concepto, frenduerit, ubi potuit. Certum est, vel ipso confitente, hanc ipsam regulam fundamentum esse ferè omnium regularum monachalium. Ocreatus tamen nauigauit Erasmus, & nulli Sectarum nomen suum dare voluit. Scripsit autem multa (nequid ei, quasi odio, subtrahamus) catholicè: ut tractatum longissimæ epistolæ ad Fratres inferioris Germaniæ, quo Lutherigenas firmissimis argumentis, atque de more faleratis valentissimè impetit. Fuit enim Erasmo tanta Latini sermonis eloquentia, tanta in vestiendis sententijs elegantia, quanta à multis seculis nulla. Vtinam & constantia tanta. Quare insaniunt ij præter omnem humanitatem, pietatémque, qui vel cœlorum motibus, vel eorundem motoribus contemporaneas illas, & quasi conspiratrices, bellorum, Sectarúmque clades, secundum mysticam chronologiam (vocant alij theologiam) Thritemij, tribuunt: in qua ille referens opinionem quorundam, dicentium à septem post Deum Angelis inferiorem mundum gubernari, admotis septem planetis; singulósq; illorum annos imperare trecentos quinquaginta quatuor, & quatuor mẽses inchoante Orifiele, Saturni Angelo, anno mundi primo, die

vicesimo

vicesimo quinto Martij; & ad sua tempora deducens Abbas, huiusmodi temporum recursus, Angelorúmq; vices, rediisse ait imperium tunc tertiùm ad Samaëlem, spiritum Martis, eiúsq; dominium duraturum usque ad annum Christi millesimum quingentesimum vicesimum quintum. Sub cuius Orifielis regimine refert, multa in orbe terrarum bella contigisse; perijsse penè infinita hominum millia; & regna quam plurima pristinos terminos amisisse. Demum portentosa quædam pronuncians futura circa finem huius tertiæ reuolutionis, sectam quandam religionis magnam fanatica locutionis imitatione prædicit: cui prognostico plaudere visus est euentus anni decimi septimi post millesimum quingentesimum, quo Martinus Lutherus, quasi sub Martio illo influxu, sponsam Christi Ecclesiam diuexare cæpit ferociter. Et statim atque Ioannes Techelius, doctor Ordinis Dominicani, Pyrnæ ad Albim Saxoniæ natus, autoritate Leonis Decimi, & Alberti, Archiepiscopi Magdeburgensis, Pontificias indulgentias Wittembergæ prædicat; populabundus ille effunditur, se posthabitum nequaquam ferens, & Friderici, Ducis sui, patrocinio nisus, pridie Kalendas Nouembres, indulgentiarum salutarium doctrinam, Dominicis verbis probatam, hostili animo (nam quis ex euentu cogitet aliter?) subijcit, ut fit in literarum arena, thesibus disputandis. Ex quo fonte, velut Exampeo, amarissimæ scaturigines defluxerunt: ac, tanquam ex Epirotico, procul amotæ seditionum, atque hæresum faces (ubi hoc respirandi spatiolum datum est) fuerunt iterum inflammatæ. Accedit, quòd idem annus vicesimus quintus, quem ponunt ultimum Orifielis, fuit is, quo Martinus, mersus in sentinam scelerum, similémq; labris lactucam quærens, Catharinam de Borne Brigittanam, virginem fortè, at Deo sacram flamine, stuprali connubio duxit, seruans hac in re solertissimus pseudo-

pſeudomonachus Byantis conſilium, Æqualem ducito. Porrò ipſum Martini nomen etſi inditum à feſto die eius Sancti, quo baptizatus fuit, cuius diei pridie natus erat, anno ſcilicet milleſimo quadringenteſimo octogeſimo tertio, videtur tamen à Marte dictum, ſicut & Arij, qui Eccleſiæ pacem, à Conſtantino Magno inductam, dirè turbauit; Mars enim Græcè ἄρης, dicitur. Illi demum præliorum in Aſia, nedum in Europa, tumultus eius tempeſtatis ſæuiſſimi; illa beſtialis ruſticorum in dominos irruptio in Alimania, vix cadauerum montibus cohibita, ac torrentibus ſanguinum; illa monſtroſarum Sectarum pullulantiam hydræa capita, quibus frænandis, ſi non cædendis, Chriſtianus Orbis incubuit, nonnihil fidei aſtruunt his, quæ diximus de Orifiele. Sed non difficile fuit Trithemio, ex præludijs ſui temporis, ea de imminentibus annis, iudicio perſpicaci, quo claruit, vel quouis alio modo præſagire. Veruntamen Archonticorum ſymphoniam hæc ſapiunt, qui ſeptenarijs cœlis ſeptenarios ſpiritus collocantes, ut quoſdam Principes, mille abſurditatibus cœlum complent. Quocirca idem autor proteſtationem, & confeſſionem piam ſubtexuit [In his omnibus, inquiens, nihil credo, nihil admitto, niſi quod Eccleſia credit catholica: cætera, ut vana, ficta, & ſuperſtitioſa, refuto, & contemno] Equidem ad motum cœlorum, ad curſum planetarum, ad defluxum ſuperiorum cauſarum creatarum, tot, tantarúmq; in religione motuum referre originem; ſanctis ſpiritibus, orbem motantibus, aut ipſis orbibus labes noſtras, quibus noſtro noſtræ voluntatis arbitris, aſſenſúq; inficimur, aſcribere, ſtultum eſt; opinari, horrendum; dicere, impium; affirmare, blaſphemum, crudele, iniquum; clamante Deo, perditionem Iſraelis ex ipſo eſſe Iſraële; Oſeæ 13. docente Domino, gaudium eſſe in cœlo coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. Lucæ 15. Qui quoniam in

illa ſunt cœleſti Hieruſalem, unde nos peregrinamur, expectant ad perenne illud felicitatis conuiuium ſodales ſuos; & (ut Auguſtinus ſcribit in pſalmum ſexageſimum ſecundum [Attendunt nos peregrinos, & miſerantur nos; & iuſſu Domini auxiliantur nobis, ut ad illam patriam communem aliquando redeamus] Sed ſi Angeli voluntatibus humanis non imperant, ſi non impellunt eas in malum; quantò minus id facient cœlorum orbes inanimes? Obambulabat ſua electione formica ſemitas ſuas; volitat huc illuc muſca pro ſuo ſenſu: moratur; reuolat; alas tergit; pediculos refrigat; nullus ad hæc planetarum cogit influxus; nullum ſydus hæc prohibet; nos tamen homines, nos tantùm, quibus totus mundus eſt conditus; quibus imago impreſſa eſt conditoris; ménsq; indita, rationali arbitrio prædita; quorum vel merita ad æterna præmia euehunt, vel demerita ſubtrahunt ad gehennam perpetuam, rotabimur leuiter, utì plumæ, ut id patremus ſiue boni, ſiue mali, quod ſtellarum inſtillationibus datur, aut flatibus? Angele, tecum alloquor, non horret legentis animus? Siquis error his, quæ ſcribimus, calamo dormitante, vel ipſa etiam deuiante memoria, aut intellectu cæcutiente illaberetur (homines enim ſumus) num ad te referendus, cui hæc ſcribimus; ſub cuius nomen hæc ipſa dictamus? Non mouet hic Angelns, inquient; quicquid ſcribis, à te ipſo ſcribis. Probè; at neque illi boni Angeli mouent ad malum: tantóq; minus, quanto in bonitate firmati magis, nec ſibi, nec alijs volunt, aut velle quippiam poſſunt, præter bonum. Paris inſaniæ eſt, quod effutit comitialis Mattheſius in ſuis declamationibus fabuloſiſſimis de Luthero; affirmans hunc ipſiſſimum annum milleſimum quingenteſimum decimum ſeptimum multò antè in illo cantico [Te Deum laudamus] pronunciatam in eo verſu [Tibi Cherubin, & Seraphin inceſſabili voce proclamant] In quo ſi literæ,

teræ, quibus pro numerorum notis Latinè utimur, ſic notatæ maiuſculis [tIbI CherVbIn, & seraphIn InCeſſabILI VoCe proCLaMant] colligantur, erunt hi numeri IICVIII CILIVCCLM. qui, ritè collecti, conſtituunt numerum milleſimum quingenteſimum decimum ſeptimum. Puerile prorſus, imò & nefandum, & impium, adeo calumnioſè ſacrum illud, diuinúmq; canticum, à ſanctiſſimis illis Patribus Ambroſio, & Auguſtino in eiuſdem Auguſtini baptiſmate ad Dei gloriam, & noui commilitonis ouationem, quarto Chriſti ſeculo decantatum, decimo pòſt ſeculo caballinis extorſionibus, & impoſturis ad morionis laudem peruertere: & id quidem facere eos ipſos, qui nil iactant clamoſiùs, quàm verbum Dei; nil ſe aliud teſtari, aut cogitare dicunt, quàm verbum Dei; nulli alij ſcripturæ credere, quàm verbo Dei. O verbales, hoccine eſt verbum Dei? caballiſticis ſuperſtionibus cantica Diuorum adulterare? Quid mirum, ſi exorbitatis ab itinere ſapientiæ, & à lege iuſtitiæ? ſi ab ipſo Chriſtiano euangelio tot craſſo ſomniamenta extunditis? Sed agamus ſeriò ludum veſtrum. Profectò ſi Joachimus caballis, quotquot calcitrant in Valle Matthesij, ſanctus ille hymnus deberet trahi, maiores numeros ſuo primo verſu [Te Deum laudamus, te Dominum confitemur] procul dubio pareret. Eleuemus notas [te DeVM LaVDaMVs, te DoMInVM ConfIteMVr] Colligamus eas: DVMLVDM VDMIVMCIMV. Quis inde numerus? nempe ſexies mille, ſexies centum, ſeptuaginta ſeptem. Actum eſſet de ſchola Wittembergica, ſi tandiu expectare deberet quintum Euangeliſtam ſuum, ſecundúmq; Eliam. Potiùs certè in ipſius Martini Lutheri nomine, & cognomine inuenirent homines ſanæ mentis, eum fuiſſe præambulonem nequiſſimum Antichriſti: de cuius beſtiæ nomine, & numero ſcribit Joannes ſextodecimo ſuæ Apocalypſis [Numerus eius

ſexcenti ſexaginta ſex] Atqui Martinus Lutherus (ſi numeros eodem modo excipiemus) non longè errat à beſtia Apocalypſis. Nam MartInVs LVtherVs has habet notas MIV LVV. quæ in ordinem redactæ faciunt numerum milleſimum ſexageſimum ſextum. In ſexageſimo ſexto is concordat prorſus cum beſtia: diſcordat autem in hoc, quòd hæc ſexcentenarium, ille millenarium comprehendit. Sed ſi vim numeri conſideremus, eadem ſignificatio indefinitæ multitudinis utriuſque. Vt enim innumerabiles homines dicimus mille homines, ita eoſdem ſexcentos dicimus: & millies ita, ut ſexcenties, pro ſæpiſſimè. Niſi forte velimus & nos diuinare, ac dicere, quòd totidem annis præceſſit poſtremum Antichriſtum Martinus, quot annis ſexcentenarius diſtat à millenario, ſcilicet quadringentis. At verò de die, & hora iudicij extremi, nemo ſcit, neque Angeli cœlorum, niſi Pater ſolus, ut docuit Saluator ipſe, apud Matthæum viceſimo quarto. Eſt autem quadringentenarius ſymbulum ſeruitutis, & afflictionis: quamobrem Abrahæ ſemen prædixit Deus fore peregrinum, affligendum, & ſeruituti mancipandum annis quadringentis; quod ſcribit Moſes viceſimo quinto Geneſeos. Ita præcurrentibus Antichriſtum annis, ultimis maximè, erit tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi: quæ calamitoſa tempeſtas non parua ex parte conferri poteſt cum eadem, quam antè diximus, Thritemiana: & in ea ſimul ita impletum illud eſt Auguſtini oraculum, ut nunquam ita. Scribit enim epiſtola centeſima triceſima ſeptima [Simpliciter fateor charitati veſtræ coram Domino Deo noſtro, qui teſtis eſt ſuper animam meam; ex quo Deo ſeruire cœpi, quomodo difficilè ſum expertus meliores, quàm qui in monaſterijs profecerunt: ita non ſum expertus peiores, quàm qui in monaſterijs ceciderunt: ita ut hinc arbitrer in Apocalypſi ſcriptum, Juſtus iuſtior fiat, & ſordi-

ſordidus ſordeſcat adhuc] Sed & (patienter audi) audet Joachimicus Mattheſius Martinum ſuum Auguſtino noſtro conferre ad lineam. Deus Deorum, ecquod nam erit, ſi hoc non eſt delirium ? Per antiphraſin certe conferuntur ambo belliſſimè ; ut ſi coruum comparemus olori. Recolis quã nos vocamus Sequentiam de Auguſtino ? eam, quam poſt epiſtolæ lectionem in eius feſto recitamus ſub ſacrum ? eandem per contrarios rhytmos & de Luthero cantare poſſent actuoſè vel pueri :

De Avgvstino.

De profundis tenebrarum,
Lumen mundo exit clarũ.
Et ſcintillat hodie.
Olim quidem vas erroris
Auguſtinus vas honoris
Datus eſt Eccleſiæ.
Verbo Dei dum obedit,
Credit ſperans, & accedit
Ad Baptiſmi gratiam.
Quam imprimis tuebatur,
Verbis, ſcriptis execratur.
Erroris fallaciam.
Firmans fidẽ, formãs mores,
Legis ſacræ peruerſores
Verbi necat gladio.
Obmuteſcit Fortunatus,
Cedunt Manes, & Donatus
Tantæ lucis radio.
Mundus marcens, & inanis,
Et doctrinis doctus vanis
Per peſtem hæreticam.

De Martino.

De profundis tenebrarum,
Prædo erupit animarum,
Et punitur hodie.
Olim quidem vas honoris
Luther erat, mox erroris,
Hoſtis inde Eccleſiæ.
Verbo Dei dum vix credit,
Furit errans, & recedit
A baptiſmi gratia.
Quæ iam pridem tuebatur,
Nũc blaſphemãs execratur
Veritatis dogmata.
Scindens fidẽ, fædans mores,
Legis ſacræ expoſitores
Linguæ truncat gladio.
Stant Huſſitæ, Anabaptiſtæ
Murmurantes, quis eſt iſte
Nouus autor hæreſis ?
Saxo mollis, & inanis
Dat hoſpitium profanis
Per peſtem hæreticam.

 Multum

De Avgvstino.

Multum cœpit fructū ferre,
Dum in fines orbis terræ
Fidem spargit unicam.
Monachalis vitæ formam
Cōquadrauit iuxta normā
Cætus Apostolici.
Sui quippe nil habebant,
Tanquā suum, sed viuebāt
In commune clerici.
Sic multorum pro salute
Diu viuens in virtute,
Tandem bona senectute
Dormiuit cum Patribus.
In extremis nil legauit,
Qui nil suum æstimauit,
Imò totum reputauit
Commune cum Fratribus.
Salue gemma confessorum,
Lumē Christi, vox cælorū
Tuba vitæ, lux Doctorum,
Præsul beatissime.
Qui te patrem venerantur,
Te ductore consequantur
Vitam, in qua gloriantur
Beatorum animæ.

De Martino.

Malam cœpit frugem ferre,
Dum per suos fines terræ
Spargit hic zizania.
Monachalis vitæ formam
Deformauit iuxta normā
Cætus diabolici.
Sui quicquid rapiebant,
Suum erat, & viuebant
Vxorati clerici.
Sic multorum cum ruina
Diu viuens hac doctrina,
Morte tandem repentina
Decidit in barathrum.
In extremis nil legauit,
Qui tunc mori nō putauit,
Cúmq; egregiè potauit,
Ore clauso crepuit.
Procul cæce, dux cæcorum,
Vmbra, fœtor inferorum,
Tuba mortis, vox bellorū
Exul perfidissime.
Qui te patrem venerantur,
Te ductore condemnātur
Igni, quo crucientur.
Damnatorum animæ.

Ecce canticum Martinianum. Vah, quæ Martini cum Augustino collatio? At neque uno, aut altero mendacio sententias suas ornat Matthesius; pseudo enim propheta pseudo euangelistæ respondet pulchrè, & ita ut nulla re veritas catholicæ Ecclesiæ detegatur commodiùs, quàm aduersariorum mendacijs. Is nanque posteaquam Martini parentem nasutu-

nafutulè nobilitauit, nefcio qua illum togula amiciens prę-fecturę, afferit tandem fuiffe eundem fodinarium, terręqué fofforem: quippe cum varijs fodinis Mansfeldenfis Comitatus abundet, Iflebiúmq; Lutherorum patria, verfabatur & ille, ut plurimi operarij, in illis effodiendis; viuebátq; in diem fua mercede denarij. Quapropter femel (ut idem fatetur homiliaftes) fcholaftici quidam Wittembergenfes, celebrantes hilariter Dionyfia, ac fodinariorum veftes ferrugineas, attritásq;, laruatorum more induti, cum ferramentis ad id operis neceffarijs, adierunt rectà Martini domum, iocantes feriò: qui, ut natura facetus, non indignabundè, fed feftiuiffimè, patris artem multis commendans, eos excepit; fupple, compotatione (quę eft conditio fine qua non) largiffimã. Idémq; Martinus (ut & in hoc indulgenter credam Matthefio) poft pueritiam, domi, utut, actam, philofophica ftudia pane aluit oftiatìm quęfito; etfi ea abfoluerit fubfidio matronę cuiufdam, quę eius indole, aut quauis alia re permota, vegetum iuuenem, linguacémq; quotidie audire cupiebat (adderet Matthefius, Pro explanatione euangelij: fed quid ni? non adeo iniquo fum animo in veteratorem, quin de eo aliquid boni affirmare valeam. Neque verò obftat, quòd in Babelianis facetijs fiat mentio de quodam medico, ex familia Luder, quafi hanc magnificam putes, Doctorum togis nobilitatam: nam & agreftium hominum, atque artificum frequentiffimè filios, fiue ob vim ingenij, fiue ob quamuis aliam humanam induftriam ad laureas diuerfarum fcientiarum videmus promotos. Sed poftquam huc me inopinatò, traxit oratio, quænam de eodem medico fertur impietas? Detrectat animus tam abfurdas referre impietates; pro pietate referam. Multis hic annis Martinum præceffit, & velut Luderorum propria quædam qualitas effet, impium effe (quod abfit credere) præbuit & ipfe fpeciem vecordiæ fuæ.

Conue-

Conuenerant,fortè in menſa, medicus Luder, & theologus quidam ex monachis: cúmq;,ut fit in ſympoſijs,de varijs rebus ſermo contexeretur,accidit, ut & de ſanctiſſima Trinitate aliquid diceretur. Inhiabat afferre plura philoſophicè Luder hanc in rem; æſtuabátq; feruore duplici,ut probaret, nulla poſſe naturali ratione conſtare,ut tribus diſtinctis perſonis una eſſet natura; ſed eſſe opus, aut tres naturas tribus ſubeſſe perſonis; aut unam perſonam uni ineſſe naturæ. Contrà nitebatur monachus,ſed primùm autoritate,quæ potiorem in theologicis locum obtinet: & ubi humana ratio ſuccumbebat,afferebat ſtatim arcanum fidei: addens, quòd niſi ita firmiter crederet,igne prorſus eſſet multandus. Quinimò credam quiduis,reſpondit Luder; ecquare non? Credam antè Quaternitatem,quàm cremari patiar. Futilis cerebroſitas. Quid tam dementatum,quàm iocari de grauiſſimis rebus; & ſacramenta diuiniſſima fidei in ſales, & ineptias vertere? Ad hunc modum ex Germanis liberis,ludentes de rebus fidei illeberaliter,quidam ſenſum fluxerunt eò, ut ſeriò eiuſdem myſteria nihili facerent. Sed quòd Luder cognominaretur ille,non fit propterea,quòd alterius fortaſſe fuerit familiæ; nam,ut una eſt omnium vox,Martinus,qui faſtoſo turgebat ingenio,videns,quòd Luderi nomen patria lingua ſordidum quippiam ſignificaret,ſtomachans etymologiam,mutauit literam, & Luther cœpit agnominari, aſpiratione iniecta, quæ generatim familiariſſima eſt Alemanis. Hæc ad rem attingere volui in hoc opuſculo,impatiens more diuturnioris. Odit inducias fraterna charitas, modúsq; zeli eſt ipſe zelus. Vacuus eſt liber,in quo cauſa Chriſti non agitur,eiúsq; Eccleſiæ: inanis hiſtoria,quæ res geſtas tantùm includit,præterea nihil. Siquid ultra in hanc rem interim aues, méque iterum ex inſtituto loquentem non expectare conſtituis,Coclęum habes, doctorem tum catholicum, cum

feſtiuum.

festiuum. Describit is discrimina eius tempestatis, quorum pars magna fuit; & scriptis, actísq; nouatoris, acta, & scripta sua, prudenti arte interserit. Ego iam quædam ex his, quæ acciderunt, quæ controuersa sunt, modò hoc, modò illud, detruncata explicatione percurro; nihil post habens, quod lumen ferat historiæ, & orthodoxam adaugeat fidem. Quid enim mihi cum cacodæmone, si frugem fidei non attenderem.

Mindelhaim, Sueuiæ urbs, septem ab Augusta Vindelicorum milliaribus Sueuicis, monasterio Diui Augustini decoratur, quod circa annum millesimum quingentesimum vicesimum quintum, Luthero (ut diximus) classicum simul, atque hymenæum canente, monachis desolatur, & à Georgio de Fraundsberg in protectionem religiosè excipitur. Inciperat & hoc anteà cum aliquot alijs monasterijs, præsertim post Lombardicam unionem, chasmate reformationis ab Ordine scindi; unúmq; ex illis fuit, quæ à nonnullis annis Generali Priori collectam, quam vocamus, soluere recusauerat, ut diximus in Kulembachio. Prodijt ex hoc conuentu Hermannus Episcopus Nicopolensis, Doctor admodum eruditus. Pulsauimus sæpe fores, multorúmq; aures obtudimus, ut eò Patres nostros reduceremus, quod ut cesserit, dicemus in Historia magna. Illud sanè (generaliter loquens) integro magistratus nostri sexennio expertus sum, ut minùs difficilè perampla fundarem monasteria noua, quàm vel lapidem ex amissis antiquis recuperarem: adeo immobiliter hærent bona ecclesiastica, semel quocunque titulo vendicata. Cum enim monasteria fundamus, apud eos id facimus, in ijs locis, in quibus Principes zelo religionis feruent magis: cum verò fundata reposcimus, ab ijs sæpè reposcimus, qui aut fidei auersantur, aut Ordini; siue quibus suauiter sa-

piunt aliena. Hinc æuiternum illud litigium de quatuor, ut nuncupant, monasterijs; hinc reuisiones Spirensium causarum, quod tribunal supremum est in Romano Imperio, sub silentio inexpugnabili iacent. Nam si iterum in contentionem vocandæ essent, ab illis æquissimè inceptandum, quæ antiquiorem in reuisionum ordine tenent locum: quod ne fiat, cùm illis quatuor prior reuisio deberetur (ut dicam quatuor, quæ sunt annumeræ) cæterarum iura causarum dicuntur nulli. Hoc modo quod occuparunt hæretici contra omne ius post edictum Caroli (appellant interimisticum) non tenent tantùm pertinacissimè; sed & inde sibi fas faciunt, ut & reliqua, iniustè occupata, retineant; & occupent indies ulteriora.

Monachium, seu Monacum, urbs Bauariæ, secus Isaram amnem, ut ea, quæ in villa Schlafftlarensi, monasterij Sancti Dionysij, quondam Ordinis Sancti Benedicti, nunc Præmonstratensis, ab Henrico Duce fundata est, à monachis nomen, vestémq; nigram pro stemmatibus urbicis mutuò accepit. Iacit hic prima fundamenta monasterij nostri Ottho de Volburch, monachus noster, extra mænia in foro Neushausiano, quod iam, aucta urbe, infra mænia est, Ludouico, & Rudolpho, Bauariæ Ducibus, aream donantibus; & Emicone, Comite à Mosburg, Ordinario Frisingense, cui etiamnum in spiritualibus Monachium paret, literis bullatis consentiente, quæ incipiunt [Cùm religionem sacram] & dantur in Vernigen anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo quarto, pridie Kalendas Apriles. Mox verò post Kalendas Maias idem Episcopus coram ijsdem Bauariæ Ducibus, cœmiterium, primámq; aram in honorem Dei, Diuorúmq; Ioannis Baptistæ, & Ioannis Euangelistæ, Augustiníq; Doctoris, sacrat. Habet sacrarium reliquias Sanctorum non paucas, & inter eas

veneran-

veneranda ossa Beatæ Cordulæ. Latrent, ut volunt non tricipites, sed septicipites Ditis cerberi in sacra corpora Beatorum; ego non ea solùm, quæ tabernaculum fuerunt Spiritus sancti, cum Ecclesia, quæ una, & nobiscum est, colo; sed & eorundem, quamuis excarnium, imagines, quanto possum honore prosequor. Illi suum ad viuum pingant rasum Lutherum, tonsum Melancthonem, barbatos ad ventrem usque Cnoxum, & Lascum, pingant has bellas facies illi, & dicant ultrà, Siquis non prostratus adorauerit statuam auream, quam constituit Nabuchodonosor Rex, mittatur in fornacem ignis ardentis. Dan: 3. Patientissime Deus, si non sunt hæc inferorum monstra, quænam erunt? Et hi postmodum tanta debacchatione exibilant triumphantium athletarum Christi imagines, quæ & miraculis (operante Deo) cultum suum compensant; & spirant circùm numina sanctitatis. Arca igitur, & virginis reliquiæ sic se habent.

[:]


Ossa Sanctissimæ Cordulæ Virgi
nis, et Martyris quæ fuit una de
XI millibus Virginib9
B

Denarium verò argenteum, inter reliquias cuſtoditum, quem dicunt eſſe ex ijs triginta, quibus Redemptor noſter eſt venditus, ad theſaurum potiùs, quàm ad ſacrarium pertinere agnouimus; niſi is aliquo alio ſacro myſterio ibi condatur. Eum enim non fuiſſe ex illis licèt multis probari poſſit tangibilibus rationibus, hoc tamen ſufficit afferre, quod cruce ſit obſignatus: friuolúmq; eſſet Ægyptiorum literas hieroglyphicas, notásq; animalium, atque aliarum rerum, inter quas & crucis ſignum, inducere: quaſi nummus Ægyptiacis crucibus, humana quauis indole cuſus, diuina contineret ſacramenta, tunc illis ignota. Sed quod vel leuiſſimè vulgus concipit, tenaciſſimè retinet. Bibliotheca huius cœnobij laudatiſſima quondam, peruetuſtis Theologorum, Canoniſtarum, Patrúmq; libris (ut nominant) poſitiuorum affluens, exaratíſq; codicibus Doctorum illuſtrium. Modò concameratam ad noſtræ ætatis ingenium redegimus, collectis ſuperſtitibus libris, ijſdémq; repurgatis, ordinatis, adauctis; quod etiam pleriſque alijs monaſterijs præſtare, plus minus, niſi ſumus. Sunt fures, mures, pueri, librorum tineæ; ſed nihil eos ita abrodit, ut pulueres, quos parit deſidia: & hac animus marcens, in vitiorum vermes erumpit. Hinc magni eſt apud magnum Auguſtinum iuge ſtudium literarum [Codices, inquit, certa hora ſingulis diebus petantur, In Reg:] Quid eſt, ſingulis diebus? Poſtquam oraueritis, poſtquam corpori debitum vitæ reddideritis, hoc ſemper facite, codices volutate. Cur tantùm negotij in otio literarum? an, quia ut rubigo ab ære amolitur lima, ita inertia ab animo exercitatione ſcientiarum? an, quia ut corpus eſcis, ita mens literis alitur? an potiùs, quia pſallit vates, Pſal. 117. Meditabor in iuſtificationibus tuis ſemper? an quia & profundiſſimi ſunt naturalis ſcientiæ fontes, &, niſi altiùs fodias, vix inuenias laticem? Qui addit

ſcientiam, addit & laborem, inquit Sapiens. Eccl: 1. Sunt enim ex ſeipſis inuoluta tenebris principia ſcientiarum, ſed arte magis inuoluta ſophorum: quare (ut eſt apud Plutarchum in Alexandro) ea arte Ariſtoteles philoſophicos commentarios edidit, ut ſpecimen ſolummodo eſſent eruditis. Quo reſponſo purgauit ſeſe, atque inexplebilem Alexandri ſui ambitionem pauit, expoſtulantis, quòd parùm ille rectè feciſſet, diſciplinas vulgans, quibus ipſe inſtitutus fuerat; & iiſdem præcellere mallet, quàm regnorum potentia. E re noſtra eſt hæc tractatio, & hic commodus locus. Si aſſiduis orationum iaculis ſiue animo, ſiue etiam voce ictis, feriat monachus cœlorum arces, habet ſanè officia, quibus quotidie, quibus ſemper exerceatur; ſin autem, quid faciet? Feriatus, ijs ſæpè animum implicat, quæ nil ad monachum. Laudo opera monachorum; ſed quæ monachos decent; & ea imprimìs, quibus excolitur animus. Siquando monachus ſolitudinis cædet habet domi, penes ſe habet, quibuſcum ineat ſodalitatem: excitet libros; cum eis ſedeat; & plùs eos ſub ſilentio loquentes audiet, quàm mille hominum garrientium in foro, atque vociferantium. Varia ſunt hic colloquia, & mutabilia ad nutum. Siquis faſtidio eſſe cæperit, illicò abſque iniuria dimittetur. Nulla hic odia, nullæ iræ, nulla dicacitas. Aſſentimur, argumentamur, negamus ad libitum: hunc ponimus, illum tollimus; probamus hos, illos minimè; quis conqueritur? Nulla tutior hac ſocietate; nulla, ſi ſapimus, delectabilior. Congredimur hac via cum regibus, ac nobiliſſimis viris abſque cuntatione, aut internuncio: adimus Pontifices Summos abſque ſecretis cubicularijs: ſanctiſſimos, atque eruditiſſimos viros de rebus arcanioribus, quas natura complectitur, vel veneratur, ſtatim alloquimur; & quid ij ſentiant, aperta, fuſáq; oratione percipimus. Guſtaſti Præſul conſuetudinem hanc? Sed quid, guſtaſti?

gustasti? Satiaris nunquam. Siquidem (da, ut paululùm de te dicam) etsi autorum numerus numero careat, tu tamen antequam ista interciperetis mystagogia, nouis semper cudendis libris, ac si decem, aut viginti tantùm codices inuenirentur Doctorum, tum Venetijs, tum Romæ, quantus, quantus eras, præeras, atque incumbebas; imò & addebas de tuo tuos. Vbi verò ad sacram mystagogi dignitatem euectus es, id ultra egisti, ut comparatis vel magno sumptu hinc inde libris, non selectissimis tantùm, sed & cuiuscunque autoris, modò catholici, in tantum librorum cumulum bibliotheca tua surrexerit, ut vix crediderim, exceptis quibusdam Principum, inueniri maiorem. Siquid noui prælo committitur, haud dormis, nisi mox illud habeas; & quandoque etiam primus. Quo monumento pretiosissimo, non immemor monachatus tui, Romanas ædes, Diuo Augustino sacras, non adeo ad viuam memoriam, ut ad bonam frugem posteritatis, Mineruali etiam designato custodibus, exornare contendens, ut perficeres, quæ tuo obuersabantur animo, cumulatiùs, Pontificiam autoritatem aduocasti. Hæc de studijs monachorum, de Monachio agens, dixisse satis. Grandem hic mystarum numerum ab ipso primo cœnobij lapide inhabitasse, à sacerdotum, concionatorúmq; frequentia, qui & per diæceses mittebantur, non obscurè apparet. Quod etiam eleemosynarum ab externis oppidis exquisita quęstura; cellularum, codicum, subselliorúmq; copia; atque generalium Ordinis synodorum, quæ non nisi in maioribus celebrari solent monasterijs, congregatio, satis supérq; confirmant. Verùm (ut est rerum sublunarium vicissitudo) etsi tantus postea cætus non nimiùm minueretur, tepescere tamen feruidum vitæ genus, & contabescere rigor ducentis ferè pòst annis incepit. Idcirco sub Sixto Quarto, & Alberto Bauarorum Duce, de reformatione est actum; & per Andream Proles,

les,in theologia Lectorem, tunc Vicarium generalem Congregationis Reformatorum Alemaniæ, fuit tandem & hoc monasterium Reformationi unitum anno octogesimo primo à millesimo quadringentesimo. Monachis arctiorem vitam ferre impatientibus, aliorum monasteriorum prioris vitæ copia facta est, successère alij: neque hi quidem pauci. Nono enim pòst anno Raymundus Periandrius commissarius Apostolicus triginta duos monachos, nempe presbyteros sexdecim, diacones duos, subdiacones quinque, clericos duos, unum nouitium, & sex conuersos in quibusdam indulgentiarum literis contra Turcas commemorat. Orto scismate ex perniciosa illa coniunctione Lombardica, defecit & hoc cœnobium ab obedientia Præsulis Generalis, ut neq; collectas ei pendere, quas solebat quotannis, voluerit. Qua de re anno millesimo quingentesimo contra illud, ac Norimbergense, Mindelhaimense, & Kulembachense (ut antè scripsimus) Erasmus Abbas ab Alexandro Sexto huic negotio delegatur. Exulceratur vulnus, & vicesimo secundo pòst anno cladem & hoc cum alijs tantam sentire cœpit, ut paulò post, vix quidem septem mystis commorantibus, temporalia bona præfectus laicus administraret. En rerum instabilitatem. It, redit quicquid sub luna est, nec insolescit conniuentia temporis. At eneruatis deinde paulatim Germaniæ hæresibus, & repullulantibus interim monachis, eò ventum, ut piorum stipe tricenos propè hodie alat sub Principibus catholicissimis. Habita hic comitia generalia Ordinis sub Tolomæo Veneto, anno millesimo tricentesimo nonagesimo septimo. Excipiuntur humo Ioannes Perger, Episcopus Belmensis, Henricus Stainer, Paulus Veigel, Wolfgangus Ostermair, & complures alij ex nostris Patribus, memoria non indigni. Si verò uniuersæ huius urbis auitam fidei catholicæ religionem; si Ducum, ciuiúmq; pietatem;

tatem; ſi eccleſiarum cultum, & in eccleſiaſticos homines venerationem ſpectemus; ſi denique omnium vitam, moréſq; diſciplina quadam monaſticha caſtigatiſſimos, licebit dicere, urbem totam monaſterium eſſe; ut meritò Monachium nominetur, & inſignibus utatur monaſticis. Quod de Oxirinco, ciuitate Thebaidis, ſcribit Hieronymus in Vitis Patrum, id planè & Monachio conuenit. Impleta illa monachis & expleta, ut plura monaſteria, quàm domus viderentur per ciuitatem: turres ipſæ urbis, & omnes anguli habitatoribus monachis occupati: duodecim eccleſiæ præter oratoria monachorum: tantiq; undique eccleſiaſtici cultus, ut (mirabile dictu) nihil omnino intereſſet, in temploné, an in platea orationem faceret Epiſcopus; nam & plateæ ipſæ templi partes æſtimabantur. Noſtrum verò Monachium tot utique monaſteria non habet, ſingulorum tamen ciuium ædes ita benè viuunt, ut monaſteria. Ad quam pietatem conſeruandam, atque etiam amplificandam, perpetuò vigilant religioſiſſimi Principes. Schema autem cœnobij noſtri hoc eſt.



C

Monasterium Monacense.

Muerſtat, monaſterium prope Herbipolim, Franciæ orientalis principem urbem, ab Epiſcopo Duce alijs ſuæ eccleſiæ uſibus utcunque applicatum.

N. Epiſcopi Sanctæ Mariæ Slananenſis memoriam reperi in antiquo codice membraceo monaſterij Pragenſis talem [Anno Domini 1345. altare Sancti Ioannis Euangeliſtæ dedicatum eſt à Venerabili Epiſcopo Sanctæ Mariæ Slananenſis, Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini] Hinc, quot aliorum Epiſcoporum ex noſtris nomina exciderint, non infirmum argumentum ſumimus.

Neuburga, ſiue Neunburgk in Auſtria, monaſterio claruit ſub nomen Corporis Chriſti; cui loco indulgentias omnes, antè à quouis Antiſtite conceſſas, comprobat, & ſuas addit Bernardus Epiſcopus Patauienſis anno milleſimo tricenteſimo duodecimo. Concedit nouas Nicolaus, Cardinalis Sancti Petri ad vincula, Legatus Alemaniæ, anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo primo. Sequenti verò Villielmus, Epiſcopus Nicopolenſis, ex Ordine noſtro. Anno autem milleſimo quingenteſimo triceſimo ſexto Prior creatus fuit in comitijs Prouincialibus Lector Auguſtinus Laiter. Veriſimillimum mihi videtur, hoc idem eſſe cum Cornauburgenſi, de quo ſuperiùs: ſed illud repugnat, quòd primam Cornauburgenſis mentionem inuenimus anni milleſimi quadringenteſimi quadrageſimi ſeptimi cum commemoratione nouæ fabricæ, quo anno credibile eſt fuiſſe illud erectum: potuit tamen eſſe additamentum, priori ædificio factum: Neuburgenſis verò multo priorem habemus originem; anni videlicet milleſimi tricenteſimi duodecimi, cum indicio ulterioris antiquitatis: nam eo anno Bernardus Epiſcopus confirmat, ut diximus, indulgentias, collatas pro eodem conuentu ab alijs Epiſcopis; ſi fortè & hæ (quod potuit accidere)

dere) non fuerunt eo ipſo anno, aliquot antè menſibus erogatæ.

Nicolaus Ambroſiades Fluminenſis, Lector in theologia, atque ad Epiſcopatum Signinum Dalmatiæ deſignatus, floruit anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo.

Nicolaus, Caſtrienſis Epiſcopus, ex hac vita migrauit anno milleſimo tricenteſimo ſeptuageſimo primo, & in noſtro templo Ratiſponenſi à dextro latere ſummi altaris humatus, hæc habet in lapide [Anno Domini 1371. in craſtina Annunciationis obijt Dominus Nicolaus, Epiſcopus Caſtrienſis, nec non Suffraganeus Ratiſponenſis Fratrum Eremitarum Ordinis Sancti Auguſtini] Ferè omnes, quotquot fuère ex noſtris Epiſcopatum in Germania conſequuti, Epiſcopi fuerunt titulares, & Coadiutores aliorum Epiſcoporum, ſeu Suffraganei; propterea quòd pingues illos Epiſcopatus, quorum nominatio ad Principes ſpectat, aut electio ad Canonicos, vel ipſorum Principum conſanguinei adipiſcuntur, vel ipſi Canonici.

Nicolaus Frieſz, Epiſcopus Tripolitanus, agebat in viuis anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo, quo Tilmannus Limperger Argentoratenſis librum ei dicauit Ambroſij corani ſuper regulam Diui Auguſtini, eodem anno Argentinæ impreſſum per Martinum Schott, caſtigatione eiuſdem Tilmanni, Iacobi Fedderer, & Ioannis Scherrer, Ordinis noſtri Baccalaureorum.

Nuremburgenſe monaſterium, ſeu Norimbergenſe à Norico regione, anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo primo attinebat ad Fratres noſtros reformatos, Andrea Proles Vicario eorum generali per Alemaniam: quo illi anno miſſale ibidem dedère typis, quod Viennæ vidi, adiunctis hiſce Auguſtini imagini carminibus; ſupernè

[Vt docet ipse Pater, sic debes vivere Frater ;
Deficiens proprio ; castè ; sub imperio.]

Et infernè

[Quod opus hic cernis Fratres fecêre Eremitæ,
Nurmberg quos alit urbs fertilis ingenijs.]

Vtinam ijsdem constanter pijs. Anno millesimo quingentesimo nec ipsos monachos, nec ipsum monasterium sub Prioris Generalis iure, & obedientia continuare, asserit Erasmus, ut diximus in Kulembachio: quippe cum reformationis prætextu, & colligationis cuiusdam cum Lombardis Congregatis factæ, quasi hoc esset uti priuilegijs, à Prælato uniuersi Ordinis, ut mox dicemus, longissimè deuiassent. Idqué fuit illud subsequutæ tragædiæ funestissimæ embolion æquè funestum. O humanitatis, imò carnis legem [Quantumlibet enim vigilet disciplina domus meæ, homo sum, inquit Augustinus, & inter homines viuo] Quid iactant ij, qui se Deo non æquant modò, sed & præferunt? Et nos sumus homines, & ij homines sunt, qui nobiscum humano contubernio viuunt, lutei, vitrei, fragiles [Nec mihi, subdit, arrogare audeo, ut domus mea melior sit, quàm arca Noe, ubi tamen inter octo homines reprobus unus inuentus est: aut melior sit, quàm domus Abrahæ, ubi dictum est, Eijce ancillam, & filium eius: aut melior sit, quàm domus Isaac, cui de duobus geminis dictum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui: aut melior sit, quàm domus ipsius Iacob, ubi lectum patris filius incestauit: aut melior sit, quàm domus ipsius Dauid, cuius filius cum sorore concubuit; cuius alter filius contra patris tam sanctam mansuetudinem rebellauit: aut melior, quàm cohabitatio Pauli Apostoli, qui tamen, si inter bonos habitaret, non diceret, quod superiùs commemoraui, Foris pugnæ, intus timores; nec diceret, cum de sanctitate & fide Timothei loqueretur, Neminem habeo, qui

germanè de vobis sollicitus sit, omnes enim, quæ sua sunt, quærunt, non quæ Iesu Christi: aut melior, quàm cohabitatio ipsius Domini nostri Christi, in qua undecim boni perfidum, & furem Iudam tolerauerunt: aut melior sit postremò, quàm cœlum, unde Angeli ceciderunt] Hisce exemplis perspicuis, haustis de fontibus scripturarũ, Hipponenses suos sedat prudentissimus Pater, epistola tricesima septima ultra centesimam; qui ob unum, atq; alterum cucullatum non leue de Augustianis Eremitis scandalum, ipso viuo Augustino, conceperant. Nunc verò si vel lingua cespitat monachus, vel pede labitur, statim audiuntur exclamationes illæ, O cœlum, o terra. Siquis ex monachis cadit (nam quis hominum perpetuò stat? continuò dextrorsum leuorsum conturbantur omnia ab ijs plurimùm, qui in altiori sordium cœno desiguntur, quasi monachus non sit homo, eo quòd monachus. Quid amabo horribilius Antichristo? quid hoc nomine execrabilius? multi tamen Antichristi ex illa originali, Christo proxima, Ecclesia, prodierunt, de quibus epistola prima, capite secundo inquit Ioannes [Et nunc Antichristi multi facti sunt] cur ergo mirum si post tot secula prodeant & alij? si, aucta Ecclesia, prodeant & plures? si & amplissimus alueus Augustinensium suos egerat. Imò dicerem, & verum dicerem; Prodierunt ij ex Ordine, non tamen fuerunt ex Ordine: Paradoxum est hoc eiusdem Joannis, dicentis [Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis] Addítq; probationem [Si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum] Quem locum expendens Diuus Pater Augustinus Prospero, & Hilario libro secundo, de non perseuerantibus scribit [Non erant ex eis, quia non erant secundum propositum vocati; non erant cum Christo electi ante constitutionem mundi; non erant in eo sortem consequuti; non erant prædestinati secundum propositum eius, qui uniuersa

opera-

operatur] Sed redeamus, unde, expurgantes nos primùm, digressi sumus. Hic recèns natus seditionum ignis, qui aliàs succensus, si non extinctus, sopitus tamen alicubi fuerat, medullitùs serpens, quando grandiores, durioresq; animos penetrauit, fecit incendium: flagránsq; magis anno post millesimum quingentesimum duodecimo, eò Saxones rasos, inter quos magis crepitabat, æstu adegit, ut ij Martinum Lutherum, turbinem monachismi, delegarent ad urbem. Sed ad quem finem? O quàm vorticosum detexit exitus. Solebat gerro (ut non conuitia dicam, sed personarum proprietates) solebat inquam magnificè gloriari, se cum mille aureis hanc itionem suam non fuisse unquam permutaturum [Nequam est oculus liuidi, oculus malus ad mala] inquit Ecclesiasticus capite quartodecimo. O nequissimus, o pessimus oculus. Vnde illius Papasellus, aut Melancthonis Monachouitulus? malus oculus, nequam oculus, insatiabilis. Legatione hac ærumnosissima functus, laureámq; magistralem inter theologos post reditum à Staupitio suo consequutus, ad omnium usq; contemptum in tantum superbijt, ut quinquennio pòst, voluerit, instar Luciferi, cœlum ipsum impietate sua inuadere. Fortè Saxo iniquo in Romanos animo erat, nouo Cæsare creato Carolo, item Austriaco; génsq; illa, etsi mouente Deo, vi tamen armorum, iugum Christianæ religionis olim susceperat: à qua sæpissimè deficiens, non absque armorum collisione se in ea, volens, nolens, continuerat. Nullo hic moueor stomacho: qui norunt annales, ita est, dicent. Fauebat Professori suo Academia. Audiebat plebs studiosissimè hominem gentilem. Agebatur Martio illo impetu declamandi, nisi dixerim veriùs, infernalissimo: delectabatur salacissimis fabellulis, quibus nugacissimus ganeo (oportet nominare lupum lupum, & vulpem vulpem) ita abundabat, ut & sermones lautissimos conuiuales ederet;

quorum,

quorum, postquam eum non puduit, miror ex suis pudere neminem. Erat enim Martinus, ut de Socrate legitur, facetus, & dulcis, festiuíq; sermonis; & in omni oratione simulator, vultu adiuuante, & voce: eíq; nihil familiarius, quàm sententiosè loqui, etiam ridicula: sæpè enim & ridicula sententiosè dici docet Cicero, De oratore: atque, ut condiret hæc omnia, nouerat plectro ludere, & choreis pereleganter. Sed primùm trahebatur populus iners indulgentia vitæ, ad quam blandientissimus, Eliogabalus verè, non Elias, combustis, tolerante cœlo, legibus Pontificijs (quod & fecisset de Imperialibus, ut in suo Cæsareo in illum edicto asserit, Carolus, nisi temporalem gladium metuisset magis, quàm ecclesiasticum) licentissimè dimittebat. [Quibusnam rebus equi maximè gaudent? non dubium, quin equis (scribit Affricano Nazianzenus) quibus aquilæ? aquilis profectò: graculum porrò graculo assidere, ipsa quoque paræmia docet] Quare percontanti, curnam ab alijs Sectis multi descirent ad Epicureos; ab his verò nullus ad alias; propterea, respondit Arcesilaus, quòd ex viris galli fiunt, ex gallis viri nequaquam: subindicans esse homines procliuiores ad voluptatem, quàm ad virtutem: emasculatorum enim ac fœminarum est, voluptatem sectari. Ad eundem modum Strato obijcientibus, quòd Menedemus plures, quàm ipse, auditores haberet, Quid mirum, dixit, si plures lauari cupiunt, quàm ungi? unguntur enim homines ad certamen lauari verò solent ad delitias. Eam ob rem in ciuitates primùm delitiæ irrepunt, secundum Pythagoram; mox saturicas; deinde violentia: postremò exitium: quod in Sectarum ingressu, progressúq; videmus prorsus contingere. Sed præstitit his omnibus autoritas Principis, à quo pendet ore immoto iuratus populus: nam etsi nullo scripto edicto cogantur subditi, á sola tamen Principis vita sibi ius faciunt: quid

.cum

cum & latis legibus,& præſcriptis pœnis,hoc facere,illud non facere compelluntur? [Cum impij ſumpſerint principatum, gemet populus. Princeps, qui libenter audit verba mendacij, omnes miniſtros habet impios] ait Sapiens, Prouerbiorum undeuiceſimo. Ita unam eandémq; Sectam complecti principatum uniuerſum videmus, cui Sectæ unus adhæret Princeps: faciléq; foret una hora omnes populos ad fidem catholicā reducere (modò Princeps habeat neruos Principis) reductis ſolis eorum Principibus. Hæc pauca ad noſtri Ordinis abſterſionem, atque unius ex originibus malorum omnium illius ſeculi cognitionem, modò ſufficiant: ne vel mutilus videatur liber, nihil de his agens, cum tamen de Teutonibus agat monachis noſtris; vel contemptor potioris negotij, quòd animarum ſalutem reſpicit. Vtinam non eſſet opus hæc tangere; ſed caret tot literis Alphabetum: alibi te expectat hæc ipſa tractatio. Eccui, ſi is ſolius Norimbergæ ſubuerſionem in re fidei referre vellet, annus ſufficeret? Norimbergæ iam nunc mercium, opum, opificum locupletiſſimæ; at catholicorum dogmatum, virorúmq; religioſorum hoſtis inimitabilis. Noui Prælatum Ordinis, qui à viſitatione Rhenana Bohemiam repetens, ubi Norimberga exijſſet, cateruæ mercatorum obuius, dum dormirent cæteri in curru Fratres, exceptus ſibilis, vociferationibus, minis, inauditíſq; ſcommatibus, etſi ut inter ſcyllæos canes obturata aure tranſiſſet, mente iterans Ieſu Chriſti nomen; vix tamen feſtinante auriga, poſt longam excurſionem, ab aurium pugna quieuit.

Olomucium, urbs Epiſcopalis, & præcipua Morauiæ, monaſterium Ordini noſtro excitare cœpit circa annum milleſimum tricenteſimum ſexageſimum quintum. Vrbanus enim Quintus Prouinciali, & Fratribus Bauariæ, Bohe-

miæqué, ac Ioanni Marchioni Morauiæ ſupplicantibus, ob Bonifacij Octaui conſtitutionem de non ſuſcipiendis absque facultate Sedis Apoſtolicæ monaſterijs, concedit, ut inibi monaſterium erigi, & fundari poſſit. Auenioni Quinto Idus Nouembris, Pontificatus anno tertio. Bulla habetur Brunæ.

Oſualdus Iudemburgenſis, Prouinciæ Styriæ, & Carinthiæ, edidit compendium De fide catholica pro incipientibus, proficientibus, & perfectis, quod Malogranatum ob ſimilitudinem multorum granorum in arculis malipunici reconditorum, nominauit, & exemplis, rationibúsq; referſit. Incipit [Sancta æternitas, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, unus omnipotens Deus] Scriptum legi Viennæ in Auſtria.

Oſualdus Norimbergenſis ab anno milleſimo quadringenteſimo viceſimo domeſticam concitare ſeditionem inter Germanica monaſteria inchoauit: neque unquam ab eorum excidijs aut manum abſtinuit, aut animum temperauit. Licèt enim plurimi eſſent ex monachis comprouincialibus, qui (ut referunt acta Ordinis Bauarica) ſpiritu ſuperbiæ ducti, atque ambitionis, pallium regularioris vitæ geſtiebant, & plauſibili Congregationis reformatæ erecto nomine, ampliora, quibus præeſſent, cœnobia uſurpabant, modò hæc, modò illa; licèt coëtaneus Oſualdi fuerit Magiſter Henricus Zolter, & tanti monſtri memorabile membrum; ipſe tamen Oſualdus caput fuit immane, & ipſa origo, & fax uniuerſæ illius diſſenſionis funeſtiſſima: quicum graues, & illæ quidem quotidianæ expoſtulationes erant dilaceratæ Prouinciæ apud Priorem Ordinis Generalem: neque aliud rei verſabant Patres in ſynodalibus, quàm de uno conqueri Oſualdo, ut acta clamant anni milleſimi quadringenteſimi triceſimi quinti, & ſequentis,

tis, atque alia priorum, ac posteriorum annorum, Bertoldo Ratisponense, Synodorum Vicario, & Georgio à Vallespeciosa Prouinciale, Prouinciam propugnantibus. Quapropter dicere solebat Augustinus Romanus, tunc Prælatus totius Ordinis, se plus negotij cum uno Osualdo habere, quam cum parte Ordinis dimidia. Hic ubi popularem auram in velum impulit, Principúmq; animos, reformationis harmonia dulciter deliniuit, more belli, ditiora cœnobia aggressus, Norimbergense, Mindelhaimense, Ratisponense, inde filios quadraginta septem, & Priores expulit, è Norimberga sola viginti quatuor. Subegit & Seemanshausense, & ferè omnia in Norico, nec pepercit Austriacis, Neumburgensi, ac Viennensi ex dignioribus. Libet hæc ad historiæ lucem, imò ad fidei emolumentum siue disserere, siue saltem asserere: hæc enim hiulca scismata fuère sulci illi, illæ infernales culturæ, in quibus zizania sequenti seculo sata sunt. Apostatarunt hi primùm à primo Ordinis præside; tum ab Ordine, tandem ab ipso Deo. Neque, ut ignes ignibus adderentur, intestinis tantùm Ordo, sed intestinis & Bohemia interim uniuersa ardebat; nec in choro, nec in foro pax ulla. Vsurpabant monasteria monachi; Zisca hos profligabat. Resonabant Germanica monasteria tumultibus; Bohemica resoluta in cineres silebant: támq; nefario rerum concursu ætas illa concussa est. Clausit eam Andreas Proles, huic successit Ioannes Staupitius, primipilus suæ ætatis; qua non desijt chasma, quin potiùs incrementa suscepit nouato seculo, ut ex anno quinto supra millesimum quingentesimum, nosse licet. Infandum cogente zelo dolorem renouo; perangustum, scopulísq; minax retento fretum. Est in urbe Roma inter cætera præclarissima templa illud Diuæ Mariæ à Populo antiquitate, miraculis, indulgentijs celeberrimum: ob quod ipsis Augustinensibus Eremitis ex Congregatione Lombardiæ

Summi Romani Pontifices, qua solent largitate in seruos Dei, priuilegia non pauca in honorem Matris Dei concesse-runt. Hinc sibi Thuiscorum chasmatici viam sibi commodissimam sternunt, qua pedem efferre putant ab Ordinis obedientia; si scilicèt unionem simulantes cum Lombardis, pedetentim ab uniuerso Ordine separentur. Timentésq; si id illicò apud Summum agant Pontificem, rem pluribus, atque maioribus implicare momentis, itémq; si apud Ordinis Priorem Generalem; ne, re detecta, infectáq;, pœna digni efficerentur, quæ contumacibus præscripta est, contendunt ab ipsis antè Lombardis id impetrare. Vtqué res faciliùs ex voto succedat, quorundam Cardinalium, quorum apud omnes catholicos viros, potissimùm apud regulares, magna est autoritas, Principum literis, sub velo honestæ pietatis, fauorem extorquent. Audiunt Ascanius Sfortia, & Georgius Portugallensis Cardinales, quòd non pauci ex Teutonibus Eremitis Augustinensibus, desiderio sanctioris vitæ reformati, orent Congregationi Lombardiæ de Obseruantia eiusdem Ordinis cooptari; libenter supplicantium causam suscipiunt, eósq; Patribus Lombardis, synodicè congregatis, amantissimis promouent argumentis. Agit huius rei procuratorem Nicolaus Besler, monasterij Monacensis Prior; Vercellas adit; congregatos ad synodum Patres conuenit; literas exhibet; & suorum petitionem omni officio, atque humilitate eisdem proponit. Annuit Diffinitorium, non attendens ulteriùs, & Alfonsus de Mussio, Præsidens Capituli, & Vicarius recenter electus, gratiam præstitam membraceis literis patentibus nomine omnium consignat: quarum exordium, huiusmodi est [Quæsiuistis à nobis humillimè Patres Reuerendi per Vener. sacræ theologiæ Cursorem Fratrem Nicolaum Besler, monasterij Monacensis benemeritum Priorem, ut duo vobis ex gratia speciali concedere

digna-

dignaremur: unum, ut veſtram Congregationem noſtræ aggregaremus, aſſociaremus, uniremus; non ea tamen unione, qua ex duabus ipſis Congregationibus una fieret; nec ut veſtri iſtinc huc ad nos; vel noſtri hinc iſtuc ad vos Religioſi, demorandi cauſa, ſe transferant; verùm remanentibus in ſuo robore utriuſque Congregationis moribus, legibus & inſtitutis, neutri dato, ſuppoſitóq; grauamine, ad id ſolùm, ut priuilegiorum noſtrorum poſſitis eſſe participes: alterum, ut Procurator noſtræ Congregationis generalis, qui pro tempore in Curia Romana per Diffinitorium noſtrum deputabitur, veſtræ Congregationis, perinde ac noſtræ poſſit procurare, agere, ſollicitare, & expedire negotia. Nos igitur, &cet. Datum Vercellis anno 1505. tertio Kal. Maias.] O mentium faſcinum: quàm facilè cæcutimus homines, ubi humanarum paſſionum caligine offuſo animo, quid ratio innuat, non diſcernimus. Quis enim, vel in nubilo, petentium corda in re ipſa petita, atque adeo in petitionis forma non clarè videat? Petunt Teutones aggregari; & gregatim ſub uno paſtore vivere nolunt: aſſociari; & mutuam ſocietatem reſpuunt: uniri; & vitæ communionem recuſant. Pſaltes ait Pſal: 132. [Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare Fratres in unum] Fraternitatem cum cohabitatione copulat; ut ablata cohabitatione, aut ipſa pereat fraternitas, aut ſaltem bonitas, & iucunditas fraternitatis. Ad hoc corpora uniuntur, ut uniantur & animæ [Primùm propter quod in unum eſtis congregati, ut ſit vobis anima una, & cor unum in Deo] inquit Auguſtinus in Regula: hi verò corpoream abhorrentes communionem, timendum eſt, ne ſimul ſpiritualem, ac ſuauiſſimam reijciant unitatem. Magnum chaos Germani monachi inter vos, & illos firmatis, ne valeant utrinque Fratres tranſmeare, quid inde refrigerij expectatis? Bella unio: ex qua chymia eam conflaſtis? Id negatis

 in uni-

in unione, quod voto promittitis in professione: plures disgregationis clausulas, quàm aggregationis in istiusmodi Græcatione vestra annectitis. Vnijt Alexander Quartus Ordinem uniuersum ex remotissimis terræ partibus, non ea lege, ut distictis nationibus Fratres ab una in aliam Prouinciam transmigrare non possent. In Italiam afros, in Africam Italos traduxit Augustinus, cur vos fraternum renuitis comitatum? An quia Iacob in Esau non confidit? Vter est Esau? An formidatis in cohabitatione distantiam? Vbi obedientia? Nonne & peregrinationes longissimas, Superiorum arbitrio ineundas, ultrò, datisq; manibus spopondistis? An nationum stomachamini diuersitatem? Ecce, inquit Hugo de S. Vict: sup: Reg: in una domo estis plures homines, diuersi mores, diuersa corda, diuersæ animæ; hæc omnia debet coniungere in unum una intentio, & unus amor in Deum. Fortassis in altera partium inueniuntur & mali: at quare Dominus unum proditorem habere voluit inter duodecim, nisi ut malos toleremus, ne corpus Domini diuidamus? August: in Jo: ser: 50. Quomodo autem cum illis agendum sit, eiusdem Augustini Regula exactissimè docet. Nunquid potiùs veremini, ne magistratus vestros usurpent exteri? at, si Regulam, ut obseruantiores profitemini, de Præposito legite, quòd quantò in loco superiori, tantò in periculo maiori versatur. Si tam cautè custoditis ambitionem, quid tam anxiè quæritis unionem? Nihil ita hominem ab homine dirimit, ut ambitio. Quæ maior distantia, quàm quæ inter cœlum, & terram? bellum, & pacem? qui autem sumus in militanti, in triumphantem excipimur; è terra in cœlum; &, inibi perpetuò habitaturi, exultantes conscendimus. Nulla in ea congregatione distinctio Iudæi, & Græci; Germani, & Itali: sed simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, ex omni genere piscium congreganti. Matt: 13. Si

verò vos his veſtris legibus vinculo inſolubili deuincimini, quærendum fortè, num ambæ Congregationes ſimul eſſe in cœlo poſſunt? altera fortaſſe aberit, ſiue congregans, ſiue congregata. Si autem uniri in cœlo vultis, ut velle debetis, promiſſis non ſtatis, unionis veſtræ leges tranſgredimini, ac violatis. Si neque ibi (quod nollem) uniemini, utra extra cœlum manebit? Demum additis, & poſtulatis, ut nihilominus remaneant in ſuo robore utriuſque Congregationis mores, leges, & inſtituta: ſed vel utrinque leges bonas habetis, vel utrinque malas; vel hinc bonas, inde malas: ſi utrinque bonas, cur boni vel nauſeatur commiſtio, vel negatur participatio? ſi utrinque malas, cur eas in ſuo robore manere vultis, & obſeruantiæ nomine celebrari? ſi veſtræ bonæ, illorum malæ, quare cum illis petitis unionem? cur bonum veſtrum pro munere charitatis communicare proximo veſtro contemnitis? Itémq; ſi illorum bonæ, veſtræ autem malæ, cur illi, vos ſecum coniungendo, ſalutem veſtram negligunt, vósq; malis legibus, moribus, inſtitutis viuere ſinunt, atque permittunt? Vtriúſq; Congregationis leges optimæ ſunt, dicetis; ſed quia aliter in Germania, aliter in Italia pro regionis, ac nationis diuerſitate viuendum, nos noſtris, illi ſuis utantur legibus; utrinq; tendimus ad unum ſalutis finem. Eſto, ut aſſeritis, quoad multa præcepta moralia: ſed nunquid quoad eſſentialia Reformationis, & Obſeruantiæ capita non poteſtis una lege viuere, & uniri? Quod verò poſcitis, ut eodem, Romæ pro illis procurante, uti valeatis miniſtro, quorſum hoc? an Generalem uniuerſi Ordinis Priorem, Romæ ferè perpetuò commorantem, non habetis, qui rem veſtram, ut filiorum ſuorum, maiori autoritate, & fructu agere poſſet? an ibidem non ſemper adeſt generalis totius Ordinis Procurator, ut omnium Prouinciarum, nationum, monachorum cauſas, apud Romanam curiam

agitan.

agitandas,agitet,& pro virili absoluat? an in Germania Apostolicos Nuncios non habetis, Legatos à latere, vel cum potestate Legati,quibuscum possitis commodè, orequé ipso familiariter pertractare? Verumenimuerò specialem postulant Procuratorem,qui ab uniuersali capite defectionem parauerant; priuilegijs tantùm Lombardicis potiri cupiunt; abuti gratijs, & proteruire in caput: animíq; perfidiam cælare conantes,mentito unionis vocabulo,separationem à capite,& segregationem veriùs, quàm aggregationem procurant. His artibus confestim à Iulio Secundo confirmationem huiuscemodi unionis,Staupitio moliēte,ac supplicante requirunt. Asserunt Summos Pontifices,Romanorum Reges,aliósq; Principes multa quondam dictæ unioni concessisse per Alemaniam priuilegia, ipsósq; Ordinis Generales unioni eidem gratias, & immunitates non paucas hactenus concessisse, ut ex ipsius breuis Apostolici initio, insertæqué supplicationis serie apparet. Verùm neque hæc supplicantium assertio,Græcorum caret insidijs, atque mendacijs. Anno enim millesimo quingentesimo quinto, tertio Kal: Maias facta unio est à Lombardis,& eodem anno,undecimo Kal: Iulias Apostolicum diplomo confirmationis expeditur: exiguum intercedit ab unione ad confirmationem temporis interstitium, tantùm quippe viginti trium dierum inclusiuè: quando igitur Summi Pontifices,Romanorum Reges,& Ordinis Generales unionem huiusmodi honestarunt? Antenè? At quæ nondum erat, confirmari,& gratijs affici non poterat. Postnè? At nulla Pontificum,Imperatorum, Generalium mutatio tam exiguo dierum spatio facta est. Quia verò ab Vrbe aberat Prior Generalis Ægidius Viterbiensis, visitationibus monasteriorum forensium occupatus, & Lombardicę unionis literæ apud eos habebantur in promptu,urgente,& sollicitante Staupitio; ex altera autem parte

nemine

nemine contradicente, credidit Pontifex vera esse proposita, & non absque Generalis Prioris consilio, vel eius vices gerentis, unionem talem à Lombardis factam fuisse; quapropter ut superficietenus sanctam, iustam, piam, libentissimè approbat: Alemanísq; congregatis Vicario Generali, Vicarijs Prouincialibus, Visitatoribus, Diffinitoribus, aliísq; Fratribus Augustinianis, in monasterijs dictæ unionis Alemanię degentibus omnes gratias, immunitates, libertates, & concessiones, omnia indulta & priuilegia, Congregationi Lombardiæ hactenus à prædecessoribus præstita, abundè communicando, aggregationem factam, Apostolicis literis confirmat, Romæ apud Sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ eodem millesimo quingentesimo quinto, undecimo Kalendas Iulij, Pontificatus sui anno secundo. Lætus Staupitius de confirmatione obtenta, ut posset hac illac, quasi victoriæ triumphum canere, Pontificij diplomatis transumpta aliquot ab Antonio de Monte, Generali Romanæ curiæ Auditore eodem anno, die quintodecimo Octobris, artibus suis euulsit. Hac aura in Germaniam reuectus, facillimum duxit Alemanorum Principum, ad rem ecclesiasticam promouendam non vulgariter propensorum, reformatæ Congregationis timpano animos excitare; unionis voce mulcere, & ad fauendum inceptis mirificè inflammare. Quare etsi ab ipsis crepundijs, re diuulgata, dissidia inter monachos fœderatos, & alios confestim oriri inciperent, ignísq; seditionum, dura collisione excussus, non paulatim, quasi subdita esca, succresceret; sed quemadmodum scintillasset in stipulas, mox in flammarum montes erumperet; ille tamen Apostolica inuehens potestate, à mollitis Principibus literas ad Romanum Pontificem alias, atque alias extorsit: quibus permotus idem Iulius Secundus Idibus Martijs anni succedentis, mense scilicet nono à confirmatione unionis,

Moguntinensi, Magdeburgensi, ac Salisburgensi, Archiepiscopis, executionem superioris diplomatis committit. Hinc Staupitius inter suos exorsus est (ut ita dicam) Generalizare: literas patentes membranis prælo cudit; sigillo magno, ac pensili cum rubeis funiculis sericis insignit; titulósq; huiusmodi, turgenti quadam humilitate apponit [Frater Ioannes de Staupitz, diuinarum literarum humilis Professor, sacræ Vnionis Reformatæ per Alemaniam, Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini, Apostolica autoritate Generalis Vicarius, ac Thuringiæ, & Saxoniæ eiusdem Ordinis Prior Prouincialis, & cæt.] Fit nanque, ut superbiamus tunc maximè, cum humilitatis nomina usurpamus: quamobrem libro primo, capite tricesimo secundo suæ Metropolis scribit Crantzius, Leudericum, tertium Ecclesiæ Bremensis Episcopum, tumore apud annales notatum fuisse, quia se nunc Custodem, nunc Pastorem Bremensis gregis gloriaretur; cùm tamen humilia sint vocabula Custodis, atque Pastoris: sed tamen trahunt in admirationem peregrina; & quæ ad factum dicuntur, quamuis humilia, & ipsa fastidiunt, superbiúntq;. Hinc decepti quidam Germanorum historici asseuerarunt fuisse illum Ordinis Generalem. Sed Ægidius, iam factus conscius, unionis euentum considerat; & licèt tanti esset ingenij, tantæ eruditionis, & experientiæ rerum, ut non multò pòst Cardinalium Collegio fuerit adiunctus; pietate tamen, ac religione non minùs insignis, unionem sic factam, unde spes aliqua melioris vitæ haberi facillimè poterat, tolerando, tacito nutu confirmat. Secus autem extemplò accidit: nam quibusdam reformationis nomine trepidantibus; alijs, ambitione detecta, palàm diffidentibus, nutare, imò & ruere multa incipiunt monasteria: ut statim fuerit operæ pretium, diæcesanos Episcopos Apostolicis literis ad rei compositionem additos, conuocare. Haidelbergæ,

& Alcze-

& Alczeræ cœnobia Wormacienſis, ac Moguntinenſis diæceſis, monachis ſub cenſuris coërcitis, Saxoni uniuntur. Quædam verò monaſteria omni prorſus obedientia excuſſa, incredibili contumacia ab ipſo Priore Generali implacabiliter defecerunt. Præ cæteris verò Ponierienſe, Erfordienſe, Nortauſienſe, Colmarienſe, Norimbergenſe, Sanghuſianenſe, atque Subergienſe: quorum ſeptem cœnobiorum cucullatos Ægidius Generalis, & Raphael, Epiſcopus Oſtienſis, Cardinalis S. Georgij, Ordinis eiuſdem Protector, anno undecimo à milleſimo quingenteſimo, Kal: Octobris, ut ſæpiùs monitos, ſempérq; contumaces, publica excommunicationis ſententia, velut membra marcida, à ſancta eccleſiaſtica unitate iuſtè amputant, atque diuellunt. Quæ, & alia deformiora diſſidia, peruerſis undique rebus, potiſſimùm in Saxonia, adegerant factioſos, ut tandem Martinum Lutherum, monachum frontoſum, ac linguaciſſimum, Romam tranſmitterent; an rem compoſiturum, non iudico ipſi viderint: quid pepererit hæc legatio Martiniana, demonſtrauit euentus. Ipſi verò Staupitio excommunicationis publicatio committitur: qui Romam pro Ramfeldo, Cunthero, & Catharina de Staupitz, atq; Hermanno, & Ioanne de Weyſſempach multa à Chriſti Vicario exoraturus acceſſerat. Interim non minuitur Staupitio autoritas, ſed augetur; & in eam is ſuæ gentis exiſtimationem euehitur, ad quam pauci. Honoratur in eo geminata nobilitas; commendatur literarum præſtantia; ingenij promptitudo; animi virilitas; morigerata familiaritas, & in rebus pertractandis diligentia ſagax, atque felicitas: quæ omnia niſi interdum nimij ambitus contagio fuiſſent infecta, eum ad ingentem gloriam proculdubio ſuſtuliſſent. Hac de re Leonardus, Archiepiſcopus Salisburgenſis, cum ad indictum Lateranenſe Concilium multis de cauſis ire non poſſet, Staupitium anno tertiodecimo ſupra

 mille-

millesimum quingentesimum deligit, Romámq; ad summum Ecclesiæ Antistitem mittit, qui Archiepiscopi rationes, cur abesse cogatur, enumeret; pro ipso publicè, priuatímque, ubicunque fuerit opus, siue in Concilio, siue extra, compareat, respondeat, & ad numerum omnia, æque ac ipse Archiepiscopus agat. Eodémq; anno, die vicesimo octauo Augusti, rogationibus Barbaræ Schtockhaymerynæ pro sacello Sanctissimæ Trinitatis, ecclesiæ nostræ Monachiensis centenas dierum indulgentias certis quibusdam diebus à viginti Cardinalibus impetrat.
Atque hæc nunc de scismate, quod non describunt chronica Ordinis; hæc nunc de Staupitio, qui Silenus Martini fuit, antequam is contra religionem obduruisset, dicta sufficiant.

Paden, seu Baden, urbs Austriæ, quatuor à Vienna milliaribus Austriacis distans, à salutaribus balneis, quæ desudat, sic appellata; quod enim apud nos balneum, apud eam gentem Bad dicitur, hyeme propè deserta, æstate autem ob homines vicinarum ditionum populosissima, vinorúmque ferax; cœnobium ab oriente, & meridie mœnibus cingit anno octogesimo quinto ultra millesimum ducentesimum Leutoldo milite de Chreusbach fundatore, tum ibidem sepulto, qui simul septem vineis illud dotauit. Biennio pòst Sifridus Coloniensis Archiepiscopus, Arnoldus Babemburgensis, Fridericus Corensis, Conradus Argentinensis, Sifridus Augustensis, Rembotus Eistadiensis, Conradus Tolensis, & Bruno Brixensis, Episcopi, indulgentias pro nouo monasterio erogant. Decennio autem pòst Henricus de Potendorf, & Chunegundis uxor, ultra ducentorum florenorum eleemosynam, sacellum Beatæ Virginis, super balnea situm, cedentes iuri gentilitio, ad cœnobium perpetua unione deuoluunt, Clemente

Secun-

Secundo confirmante,anno tertio Pontificatus,&Bernardo Episcopo Patauiense. Hæreticorum,rebellium,Turcarum incursiones, expilationes, incendia sustinuit sæpenumero,ut nostra tempestate Hungarorum. Interdum omnino ereptum,nunc à suis cœnobitis recultum , & ab Augustino Lombardo , Baccalaureo Priore nunc instaurari inceptum.

Papoz,oppidum Jauriensis diæcesis in Hungaria, fuit cœnobio decoratum Diuæ Mariæ,fundato à Margarita,filia Ladislai de Nadaso,Pauli de Magyar coniuge, fœmina pijssima, circiter annum millesimum tricentesimum sexagesimum quartum , Ludouico Hungarorum Rege consentiente. Litem de bonis,ab ea legatis, cum eiusdem oppidanis presbyteris ecclesiæ Sancti Saluatoris sustulerunt de medio Bartholomæus de Bonitis, Auditor Cameræ Apostolicæ anno 1 4 3 9. Nicolaus Cardinalis Capuanus anno sequenti,& inde anno sextodecimo PetrusCardinalis Sancti Marci. Consuluit tandem monachorum quieti Matthias Rex anno millesimo quadringentesimo septuagesimo quinto. Legi Brunæ. Hoc oppidum, quod nos Papotium, Sambucus Baboczam nominat,quæ olim à Thuigone Bassa,Budensi præsidiario Turca,proditione veriùs,quàm occidione,capta est. Nunc nec Budæ, nec Papotij monachus.

Parzouia, Polonicè Parczovv, in Districtu Lublinensi, diæcesiq; Cracouiensi, à Crasnostauia duodecim distans milliaribus , monasterio creuit per Ioannem de Cysion, Castellanum,& Capitaneum Cracouiensem, atque Casimiri Regis Locum tenentem , assensu regio, ad honorem Sanctissimi Corporis Christi,ac Beatorum Leonardi,atq; Martini fundato , bonis dotato, priuilegiisq; satis, abundéque munito. Autographum Casimiriæ vidi,datum Cracouiæ anno millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo,

mo, die sextodecimo Martij. Iacob Criffagrum Siedliczovv, circa tempora fundationis doti adiunxit. Superest vix quidem fama, noménq; in literis.

Paulus Styrius, electus Episcopus Petinensis, viuebat anno decimo octauo post millesimum quadringentesimum, cuius meminit instrumentum locationis cuiusdam terrarum monasterij Fluminensis in Valle Sanctæ Ceciliæ, à Ioanne Barberich transsumptum anno millesimo quingentesimo vicesimo tertio.

Paulus Veigel sepelitur in nostro templo Monacensi, his in lapide tumulari incisis [Anno Domini 1496. obijt deificus, ac deuotus Frater Paulus Veigel, sacræ theologiæ Baccalaureus, qui multo tempore fuit Prouincialis, cuius anima requiescat in pace] In morem enim venerat, ante recognitionem constitutionum Ordinis, ferè omnes tum cœnobiorum, tum Prouinciarum Priores septentrionales ita in comitijs confirmari, ut nisi ipsi se abdicárent, magistratus eis abrogari viderentur, ubi denuo non essent electi: quo abusu cùm transissent præfecturæ in naturale dominium, compertum est, nihil esse Reip: perniciosius: eúmq; imprimìs in quauis nostra visitatione antiquare contendimus.

Petrus de Garundia, Episcopus Mitroconianus, Suffraganeus Frisingensis, floruit circa annum salutis millesimum quadringentesimum quadragesimum nonum, quo altare in choro nostro Monacensi in honorem Sancti Patris Augustini, & Sanctorum Ioannis Baptistæ, atque eiusdem nominis Euangelistæ, simul ac septem alia eiusdem basilicæ, sua quæque tutelaribus Sanctis dicauit. Diploma seruatur in eadem urbe apud nostros.

Petrus Spirensis, Prior Prouincialis Rheni, theologus celebratæ eruditionis, fulgebat anno millesimo tricentesimo octogesimo sexto.

Pilzna

Pilzna Diſtrictus, diæceſisq; Cracouienſis, oppidum quatuordecim ab ea urbe remotum milliarijs, monaſterij noſtri principia habuit anno tertio poſt milleſimum quadringenteſimum, ab Vladiſlao, Poloniæ Rege, ad honorem Beatæ Mariæ ab Aſſumptione, Sanctarúmq; Catharinæ, ac Barbaræ fundati. Titulus retinetur ſolius Catharinæ: eccleſia ex fabrica: monaſterium Noëticum. Eſt & urbs eiuſdem nominis in Bohemia.

Piuonia ex idiomate Bohemico Piuonka, Germanicè Stock, à trunco dicitur, ſiue ſtipite, mons nemoroſus, hercyniæ ſyluæ pars horrida, quæ ob vaſtam eius immenſitatem Bohemiam quoque procerrimis pinibus, viuis naturæ mœnibus, circuncingit. Bretiſlaus, Bohemorum Dux (nondum enim regium ſtemma in Bohemiam erat inductum) de Henrico Tertio, Imperatore, anno milleſimo quadrageſimo cæſis, obiectíſq; circum caſtra obuio militi arboribus, ibidémq; feliciter triumphans citiùs inter ramos, quàm inter arma vincens (unde vel ab omnibus truncis cæſarum arborum, vel à ſolo trunco, in quo ipſe, parta victoria, feſſus conſedit, Stock nomen inditum loco) ampliſſimum monaſterium ad Dei, ac ſanctiſſimæ Matris eius perpetuum cultum, atque unâ pro ſuorum (quotquot eo conflictu ceciderant) fideli ſepultura, myſtis noſtris extrui iubet: ac ſeptennio pòſt ab Epiſcopo Seuero, Bohemorum Apoſtolo, coram eodem Bretiſlao, ut ſcribit Hagecius, ſolenniter conſecratur. Nouerat catholicus Princeps, Deo gratias unâ cum ſpolijs, ut Deo exercituum, & omnium victoriarum autori, tam gratè, quàm deuotè reddere. Quemadmodum victis aliàs Polonis, expoliatíſq; Pannonijs, tantum eſt aſſequutus prædæ, ut militi ſatisfaceret, & Regradenſe in Morauia monaſterium auguſto planè decore abſolueret. Æneas, qui pius, in hiſtoria Bohemica

hemica hanc victoriam sub annum millesimum tricesimum & Henricum Secundum commemorat, atque in nominibus paululùm distat à Dubrauio: siquidem Bretislaum nominat Bisetislaum; & Procopium, Belinæ Comitem, appellat Bielinensium, qui ex altera parte contra Cæsaris manum arma ductabat: Bernardum verò Cæsarianum, Procopio oppositum, appellat Othardum. At Dubrauij Pilznensis Bohemi, suæ gentis gesta scribentis, testimonium minùs reprobandum; nisi modestiùs velimus & id in librarios, seu calcographos (ut fit) refundere; qui nostra ipsi haud ita vigilanter scribere possumus, quin sæpenumero tantisper oscitemus. Præditum fuit hoc cœnobium ditionibus plurimis, his exequante Domino asperitatem situs; plurimísq; populis subditis iura dixit, etiam nobilium oppidorum: scilicet antequam regio ipsa opulentissima, principe urbe contaminata, adorientibus hæresibus, velut interregno ærumnosissimo, sua viscera aperiret. Certè interregno, quando cœlestis, terreníq; regni legibus violatis, tacente Deo ob delicta hominum, anser unus fœdauit omnia, atque commiscuit: quem, ut garrulo capta augurio gentium, plebs credula, & nouitatis auida, præcipitanter sequuta est: imò & ustulatum pertinaciter, ut nec cineres Hussi fuerint inuenti Constantiæ post datas ignibus pœnas. Vecordia hæc hominum, ut quælibet natio, domus quælibet, amicissima sui, suum affectarit quandoque Deum: unde tot Ioues, imò Veioues, tot Larales importati à superstitiosis in Orbem: quibus latissimam ornauerunt viam palpans caro, & mollis hominum vita, luxibus dedita: quod Hussianis nouatoribus ita cessit ex animo, ut & alijs. Equidem licèt non aliunde, licèt non ex sacris fidei nostræ mysterijs, atque dogmatibus discerni posset vir catholicus ab hæretico, discerneretur tamen ex viuendi genere. Habet ille vitæ suæ ephemerim: luget modò; modò læta-

lætatur cum Ecclesia : tundit post lapsum,pectus; genásque lacrymis pœnitentiæ rigat: quatuor anni temporũ decimas ieiunijs Deo pendit: ieiunijs festos dies Sanctorũ præcipuos præuenit: ieiunijs quadragenarijs imitatur Christũ;eiusdéq; memoriã acerbissimę passionis ieiunijs celebrat;ieiunijs carnẽ subdit spiritu;nec sine ieiunijs pascha resumit:diémq; dominicũ duabus perpetuis vigilijs antecedẽtibus sanctissimo, atq; vetustissimo Ecclesiæ ritu honorat.Huic verò un⁹ ann⁹, unus est dies: nulla unius ab alio die differentia : omne tempus festiuum,æpulare,delitiosum. Est Retz oppidum,quatuor à Piuonia,de qua agimus,leucis positum in ditione Comitis Palatini : ibi quid acciderit Prælato cuidam Ordinis nostri , prætereunti ad visitationes suas, Bauariam versus, dicendi hic locus est. Is cum in Retzium pernoctaturus (ut & aliàs) semel incideret, ubi ad diuersorium se contulit, reperit omnia saltatoribus,ac saltatricibus, solennitate quadam nuptiarum,quas plerique Alemanorum in hospitijs celebrant,mista. Clamoribus, cantionibus, cytharis domus tota sonabat: atque inter vicarias dapes perpetua pocula redundantia,& quicquid secum temulentia gestat. Fuisset & eis nephas,si non & eorum prædicans, diaconúsq; interfuissent,potantes,comessantes,ut cæteri,choreásq; ducentes, comati,semitogati. Hi omnes , ut transeuntem viderunt virum illum religiosum ad cubiculum , quò ducebat hospes, mox voces edere,conuitijs incessere, cachinnari, sacrilegas occinere cantilenas incipientes, quid non? tantùm à manibus abstinuerunt. Alij Gallum,alij Hispanum esse; multi Italum (utì erat) arbitrabantur ; omnes verò catholicum, monachúmq;. Quid faceret bonus Pater inter tot canthatros? Vexabat prę cęteris prędicans,non cessabat à vexatione diaconus. Ioannes Baptista,natione Tridentinus, professione monasticha Rattembergensis,interpres,& comes,cęteríq; occupati in importandis sarcinis itinerarijs, aberant.

Hic hoſpes,aliôqui in moralibus bonus,conſulens ſaluti hoſpitis ſui,illum, velut unguibus,ſuſtulit è manibus inſidiãtium; & in infernam ſuæ domus abditam partem, ipſis frendentibus bacchatoribus,hoſpitali pietate intulit. Inde ad oppidanum Præfectum continuò refugiens, petit auxilium, ut tutetur hoſpitem. Quamuis enim in re fidei diſſentiat magiſtratus; non tamen patitur,ut vis quæuis præter omnem politiam inferatur cuiuis. Scriba curiæ & ipſe Sectarius, adit protinus locum; an ſiti tractus; an curioſitate; an potiùs ciuili,ut petebatur,pietate neſcio. Hoc ſcio,ubi cuniculum illum hoſpitij introiuit,aſſidens paratæ menſulæ, ad quam ſolus cum ſuo interprete presbytero humilis Paſtor cogitabundus ſedebat,Eſto,inquit,bono animo monache, quid formidas? Sum etenim,reſpondit ille. Ad hæc rurſus, Nullus hic metus,Chriſtiani omnes. Cui Pater, Ita cupio. Ecquæ,adiecit ſcriba,inter vos,& nos differentia? Vos Chriſtiani,nos Chriſtiani; Chriſtum vos, Chriſtum nos confitemur. Certè ita ſubiunxit Præſul:ſed quidam Chriſtum prædicant & patientem,quidam tantummodò reſurgentem. At ille,Non percipio. Ad quem alter; Scias, inquit, Chriſtianorum hominum aliquos ſequi Chriſtũ in laboribus,itineribus,ieiuniíſq; in fame,& ſiti; frigore,& nuditate; in cruce ipſa,hóſq; dici,eſſequé catholicos:alios verò abnuere his,& illũ ſequi velle tantùm in lętitia,& voluptate:qui,an catholici ſint,ac verè Chriſtiani,tu videris. Pendebat ſcriba â dicentis ore,ſubiratus potiùs,quâm attonitus; & priuſquàm mutiret aliud,intercepit verba interpres,feſtiuis verbis quæſtionẽ reſecans: Hora,ait, cænandi eſt,non diſputandi,mi ſcriba bibamus. His nox illa exacta eſt;híſq; cogita,quibus fulcris horrea ſua fulciant nouatores. Sed non prima hæc nobis cum aduerſarijs dimicatio, Piuoniã repetamus. Hic Culmanus Eremita,ſanctitatis fama clarus, in ſacello Baptiſtæ Ioannis medium tenet; tel-

luré-

lureq; in tuberosa humiliter conditus, deuotissimè inuocatur. Ziscæ, monachos flagellantis, ignibus infernalibus cœnobitici lapides deturbati, â Caspare Malesio Opauiense, Priore circa annum millesimum sexcentesimum tertium maiore ex parte suis locis restituuntur, cuius anima cum Deo sit. Gessit enim is multos annos prioratum, quem tandem cum vita ipsa, subditorum rusticorum odio syluestri finiuit.

Placidus, Episcopus Andrensis, emicuit in concilio Lugdunensi anno millesimo ducentesimo septuagesimo quarto, eiúsq; memoriam, propè interituram, hausi ex bulla quadam indulgentiarum ædis nostræ Ratisponensis. Debemus & in hoc plurimum laudis ætati nostræ, quæ, ut aliæ alijs speculationibus vacarunt, ita ipsa utilibus studia sua commisit historijs, unde & theologi commoda magna acceperunt, nedum politici.

Podgrodzię monasterium extitisse didici ex priuilegio quodam Sigismundi Regis Polonię, quod Brunę inter reliquas eius archiui scripturas reperi: quandoquidem Prouincia Poloniæ erat olim Prouinciæ Germanię superioris sub nomine Districtus, unita. Hanc autem distinctionem peperit tum distantia quorundam inter sese monasteriorum, tum diuersitas Dominorum, & climatum: ut ea, quæ in unius Principis ditione essent, essent & pariter unius Districtus. Quare Prouincialis Prior, cui tot Vicarij Districtuum, tanquam Generali suberant, tantæ erat autoritatis, ut titulo Reuerendissimi honoraretur, quo etiam honorabantur Vicarij generales comitiorum: cuiusmodi literas plurimas ad ipsos Patres cõsultos, ad ipsas synodos directas vidimus: non eorum, quos accusaret adulatio, vel ignorantia excusaret; sed eorundem Districtuum, vel conuentuum præcipuorum; siue etiam præstantium Patrum;

atque gestorum synodalium. Tales sunt literę Nicolai Förster, Prioris Brunensis, ac Vicarij Moraui, anni millesimi quingentesimi tricesimi noni, pridie Kal: Maias, Ratisponam datę; quibus purgabat sese, quòd ad comitia ire non posset, hac superscriptione [Dignissimo, ac Reuerendissimo Patri Vicario Generali, cęterísq; Patribus Diffinitoribus honorandis Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, Patribus suis dilectissimis] Tales conuentus Fluminensis, anni millesimi quingentesimi tricesimi sexti, diei septimi Aprilis, quibus Patres facta electione, viua voce, noui Prioris, Ioannis Primos, eundem confirmari petunt, in hunc modū [Reuerendissimo in Christo Patri Vicario, cæterísq; Reuerendis Patribus Diffinitoribus, ad præsens capitulum celebraturis in Vienna, Ordinis Eremitarum Sancti Augustini] Tales item Lubianenses, Speciosanæ, aliæq; plurimæ temporum diuersorum. Qui maior dignitatis honor etsi ad maiorem charitatis seruitutem debuisset adigere secundum autorem nostrum Augustinum, dicentem in regula [Non se existimet potestate dominante, sed charitate seruiente felicem] diebus tamen malis ansam dedit superbiendi usque ad contemptum Pręsulis supremi. Redeamus Podgrodziam. Regij diplomatis hæc verba sunt [Sigismundus, Dei gratia Rex Poloniæ, Dux Lithuaniæ, & cæt: Significamus tenore præsentium, quibus expedit uniuersis, quia supplicationibus Serenissimæ Dominæ Barbaræ, Poloniæ, & cęt: Reginæ, consortis nostræ carissimę pro Fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini de oppido Podgrodzię, nostro sub castro Scepusiensi sito, nobis porrectis, permoti, ipsis Fratribus certam aream, siue domū, & hortū, absq; tamen agris, & pratis conuentui eorū contiguā, intelligentes eorū claustrū fuisse nimiùm strictū, apud quandā mulierē, Madley dictā, emere, eidémq; monasterio annectere consensimus, & admisimus, consentimúsq; & admittimus

prę-

prçſentibus per ipſos Frates aream, ſiue domum, & hortum prçfatũm cum omni iure, & proprietate tenendum, habendum, utifruendum, pacificè quoque, & quietè poſſidendum. Quandoquidem aream, ſiue domum cum horto dũtaxat, ab omnibus, & ſingulis cenſibus, laboribus, & quibuſuis oneribus noſtris abſoluimus, & liberam facimus, eandem libertati, & immunitati Eccleſię ſubijcientes, harum, quibus ſigillum noſtrum eſt appenſum, teſtimonio literarum. Dat: Cracouię Sabbato in craſtino in feſto Sancti Adalberti, anno Domini 1 5 1 2. regni verò noſtri anno ſexto] Celebrandam Regum Polonię pietatem, Sigiſmundorum erga clerum obſeruantiam; quibus adeo proſpecta eſſet libertas Eccleſię, atque immunitas, proponendam omnibus ſeculis ſingulari exemplo. Quos hodiernus Sigiſmundus, Suecorum itidem Rex, non ęquauit modò, ſed & ſuperauit in multis: cuius eximię pietatis & nos, licèt extorres mundo, ſerui tamen Dei, teſtes viui prçſentes, locupletiſſimi eſſe poſſumus. Neque id omittendum, tantam iam olim apud Chriſtianos homines aquilonares reuerentiam extitiſſe erga Beatos, ut ab eorum feſtis ſignarent dies (utì crebrò, & in eo, quod iam nunc recitauimus, inſtrumento, factum vidimus) qui mos & hodie apud ipſos quoque nouatores permanſit. O utinam ut hoc retinent inſtitutum vetus (dicam nunc veteratores) ita ſimul retinerent & cultum. Sed veterant hi, & nouant ad flatum inquieti ſpiritus, quo aguntur. Quod eſt impium, fit eis pium: ne quicquam curant, modò diſſideant cum Romana Eccleſia: quaſi ſic non diſſideant cum ipſo Chriſto: quaſi in hoc ſit ſalus, non eſſe Romanum. Sed inculcanda nobis regia illa clauſula; imo ſacra; imò religioſa [Eandem libertati, & immunitati Eccleſiæ ſubijcientes.]

Praga, triurbs Bohemiæ præſtantiſſima, tanti magnitudinis,

ut una tres peramplas, & magnificas urbes facilè complectatur; veterem; nouam; & paruam; quæ à duabus prioribus, Vultauia, amne piscoso, disiungitur; monasterio Sancti Thomæ sub castro, à Primislao Bohemorum Principe, secundum Hagecium, ædificari cæpto, ubi sacellum anteà Sanctæ Dorotheæ, & cœnobiolum Ordinis S. Benedicti, ornatur. Anno millesimo ducentesimo octogesimo quinto de cõsensu Thobiæ, Pragensis Pontificis, recipiunt se eò Fratres nostri octauo Kal: Maias, primúsq; Prior Dypoldus. Quo anno dominica tertia post pascha consecratus est chorus in honorem Sancti Thomæ Apostoli per Archiepiscopum Moguntinum coram Archiepiscopo Treuirense, Episcopo Pragense, & Olomucense, atq; eorum Suffraganeis: & Kal: Iulijs Wencezlaus (ut antiquitatem etiam in literis veneremur) Primislai filius, fundationem expediuit. Debeo Historiæ, debeo & genti hanc fidem, ut eius notas non expungam, nec in apice quidẽ mutem: scribant recentiores Venceslaus, perinde erit. Nouã hanc plantationem suis indulgentijs Anselmus noster, Budensis Episcopus, irrigauit quinto Kal: Decembres; & sequenti anno, nempe 1286. Tristanus Abbas Breunauiensis cum suo conuentu Benedictino, consentiente Thobia, & intercedente Wencezlao, ecclesiam, cœmiterium, & fundum adiacentem cedunt. Anno autem 1379. dominica in Albis, consecratur, consummata iam ecclesia in honorem, atq; memoriam Beatissimi Patris Augustini à Cardinale S. Praxedis, Legato Apostolico, assidentibus Olomucense, Apollonienſe Maionense, & Hincone nostro Ladimiriense, Suffraganeóq; Pragense, Episcopis. Translata tunc dedicatio chori, qui in medio templi erat antiquo more, in diem dedicationis ecclesiæ. Floruisse monasterium scholis, liquidum est ex libris Pragensibus: & earum fuisse Regentem Heynricum (ut codex vetustus habet) de Vrimaria theologum doctrina, & sancti-

tudine clarum, & Ioannem de Legnicz Lectorem, ut appellant, secundarium anno 1353. fuisséq; Heynricum Prouinciałem quoq; Saxoniæ. Anno verò millesimo quadringentesimo Regens erat Nicolaus Pragensis. Quieuisse hic veneranda corpora Christicolæ, & Berengariæ, atq; unius ex Innocentibus, nato Christo immolatis, accepi ex eodem codice membraceo, à Lectore Nicolao seniore Pragense edito, cui antiquitas fidem auget, his verbis [Anno Domini 1410. 19. die mensis Iunij in die Sanctorum martyrum Geruasij, & Prothasij in consecratione altarium, tempore Fratris Ioannis de Dobrovvicz pro tunc sacristani conuentus Pragensis, tumulata sunt hæc duo corpora in sepulchro eleuato prope altare Sanctarum virginum, & martyrum Sanctæ Christicolæ undecim millium virginum, & S. Berenghariæ, filiæ Regis Hispaniæ, per Venerabilem in Christo Patrem, & Dominum, Dominum Venerabilem, Episcopum Nicopolensem, Suffraganeũ Ecclesiæ Pragensis. Quæ corpora donata sunt per Dominum Stephanum, antiquum Protonotarium Regni Bohemiæ, fundatorem capellæ S. Philipi, & Iacobi Apostolorum, & cæt. Quæ corpora fuerunt eidem Domino Stephano donata per Serenissimum Principem, Dominum, Dominum Ioannem, Regem Bohemiæ, patrem Domini, Domini Caroli Imperatoris Quarti, & Regis Bohemiæ] De Innocente ibidẽ sic [Item eodem anno, mense, & die, ut suprà, appensum est in cistula corpusculum unius S. Innocentis, quod est donatum conuentui S. Thomæ Apostoli in minori ciuitate Pragensi sub castro Fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini per Serenissimũ Principem Dominum Regem Ioannem Bohemĩæ, patrẽ Domini, Domini Caroli Quarti Imperatoris inuictissimi, Bohemiæ Regis] Extat & adhuc diploma anni millesimi tricentesimi sexagesimi secundi, quo memorantur multæ reliquię pro sacello ubi erat exedra, relictæ dono ab

Henselino

Henſelino Meynhardo, & inter cæteras caput Sanctæ Chriſticolæ infra argenteam thecam ponderis marcarum undecim, & caput Sanctæ Berenghariæ (alibi ſcribitur Bergbariæ) ſub forma argentea ponderis marcarum ſeptem: duo brachia earundem in vaginis argenteis trium ſolummodò marcarũ: brachium deauratum, in quo erat clauſus digitus Apoſtoli Thomę: & ex capite Dorotheę virginis in ferculo inaurato (conducit referre hęc) quorum duûm poſtremorum clenodiorum valor erat ſexagenarum quadraginta nouem. Crux magna ex argento, tecta auro, cum ligno ſalutiferæ crucis in puro auro incluſo, habens argenti marcas triginta duas, tunc pretij ſexagenarum centum & ſexaginta, id eſt totidem circiter aureorum. In brachio ſic ſcriptum erat [Digitus Sancti Thomæ Apoſtoli, quem Carolus Imperator, & Bohemiæ Rex dedit conuentui anno Domini 1356.] In ferculo autem Sanctæ Dorotheæ ſic [Anno Domini 1354. incluſum eſt in iſto capite cerebellum Sanctæ Dorotheæ virginis, & martyris, datum per inclytum Regem Wencezlaum, fundatorem huius conuentus Sancti Thomæ in Praga, auum Sereniſſimi Domini Caroli, Romanorum, & Bohemiæ Regis] Idem autem eſt dicere Primiſlaum fuiſſe fundatorem, ut apud Hagecium, & Wencezlaum, ut hic, atque dicere, fundatores fuiſſe Reges Bohemiæ, quod enim uni Regum tribuitur, ſucceſſoribus iure hæreditario conuenire videtur. Niſi (& id ſimilius verò eſt) quod Primiſlaus parens inchoauit, Wencezlaus filius, paternam æmulans pietatem, perfecit: ut hic, & ille meritò fundatores dicantur. Sed graui moueor coniectura hæſiſſe multò antè Fratres noſtros in territorio Pragenſi, more forſitan eremitarum extra urbem, ut de Ratiſponenſibus, & Viennenſibus actum eſt, deinde verò introductos per Primiſlaum, & Wencezlaum Reges. Nam cum Bretiſlaus, Ducum tempore, monaſterium Piuonienſe

nienſe monachis noſtris fundauerit anno milleſimo quadrageſimo in ipſis regni confinijs, mirum eſt non alibi, non circa ipſam principem urbem habuiſſe eum quempiam ex Fratribus, quos ipſe tanti faciebat. Quinimo in eadem urbis regione, ſub eodem titulo eccleſiæ Sancti Thomæ fuiſſe monaſterium noſtrum multis ante prædictam fundationem annis non ſolum cõiectura moueor ex erectione moneſterij Stockenſis, verum etiam ex teſtimonio firmiſſimo, atque irrefragabili tabularum regni Bohemiæ, in quibus anno milleſimo octogeſimo ſexto in vigilia Sancti Laurentij Vaniek de Blaſan coram beneficiarijs Pragenſibus proteſtatus eſt ſe vendidiſſe hæreditatem ſuam in Poſtrzieſyn, id eſt undecim ſexagenarum groſſorum cenſus annui cum curijs ruſticalibus, agris, pratis, & omni libertate ad ea pertinente, conuentui Sancti Thomæ Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini in minori ciuitate Pragenſi. Quocirca adhuc maior præſupponitur huius cœnobij antiquitas, & fortè multo maior antiquitate Piuonienſi: fundatio autem Primiſlai, ac Wencezlai potuit eſſe renouatio quædam; ſiue reſtructio fuerit, ſiue amplificatio. Et vel ex hac antiquitate, vel ex magnificentia monaſterij, vel ex nobilitate Ducalis urbis ſolebant quondam Pragenſes Priores eſſe Vicarij Diſtrictus Bohemiæ, ut ex multis habetur literis, præſertim anni milleſimi quingenteſimi quinquageſimi noni, Michaële Priore. Ditabatur autem ſacrarium alijs reliquijs non paucis, & aureis vaſis, argenteíſq; atque peripetaſmatibus eccleſiaſticis regali ſumptu pretioſis, ut in eodem codice legitur, quorum omnium iacturam armato milite tempus egit. Sufficiebat enim Ziſca unus, monachomaſtix, cyclops tartareus, ut, exercente Deo ſic ſeruos ſuos, etiam ipſa cœnobiorum nomina, vix unquam longo labore inuenta, deciderent. Eo clauſtra demoliente, & in monaſtichos Ordines, omnémq; clerum, an-


 no de-

no decimo nono à millesimo qnadringentesimo , furoribus, nunquam auditis, desæuiente, augusti, sacratíque lapides cœnobitici Pragenses uniuersè conflagrarunt, monasterio Sancti Iacobi Conuentualium Minoritarum in vetere, & Slouanensi Benedictinorum altero, quod Emaus dicitur, in noua urbe, diuino iudicio superstitibus, anno propemodum centesimo ante abominationem Saxonicam desolantem : quo tempore & alia per regnum monasteria Ziscano gladio occiderunt. Pingunt huius nefariæ cladis, ut nobilissimi stromatis historiam speciosam asseclæ ; eóq; beluato gratissimo aulas parant : quale & in foro Melnicij picturatum aspeximus, & Ciaslæ ; quæ urbs monstrum illud immane dederat, & resumpsit. Deferuescente verò persecutione, elumbatisque hæresibus, cœpêre illicò regerminare loca pia, & florem, nitorémque pristinum imitari : nostrúmque monasterium magna ex parte excitatum sub Augustino de Iesu, Prouinciale, iuuante Cæsare, ipsóque Summo Pontifice Gregorio Tertiodecimo stipem mittente. Adiecta deinde alia, atque alia. Tandem collecto spiritu, iunctísque viribus, ab anno tertio post millesimum sexcentesimum ad hunc usque octauum, quo scribimus, dormitorio magno, bibliotheca, officinis, claustris absolutum, sacrario & templo renouatis, & auctis, Magistro Ioanne Baptista Christellio Priore, ac Prouinciale Bohemiæ sub Rudolpho Cæsare Augustissimo, atque pijssimo fide catholica reuirescente, quasi ex fluctibus inopinato emersit : ut præter magnos ædificij sumptus, mystas ibi alat tempestas nostra prope vicenos, & (quod maius est) regularis vitæ feruidos zelatores. Synodum hic prouincialem celebrauimus secundo anno magistratus nostri, Austriacis, Morauis, Bohemísque Prioribus conuocatis : & eorum cœnobia , atque Silesiæ in unam Bohemicam Prouinciam decretis synodicis (de quibus

alias)

aliàs) redigentes, primum eius Prouinciæ uniuersæ Priorem, à Patribus electum, ipsum Christellium, confirmauimus: qua distinctione consultum est monasterijs, monachis, Ordini, si quisque suis contentus calceis, suo benè vacarit officio, non sua quærens, sed quæ Iesu Christi; ut in nostra Historia leges latiùs. Cœnobij lineamenta hæc sunt.

[✠]



D

Pragense Monasterium.

Pragæ item in noua urbe monasterium monialibus nostris cupienti erigere Carolo Quarto, annuit Innocentius Papa, Auenioni, anno Pontificatus sui secundo, octauo Kal: Maias, & consentit Ernestus Archiepiscopus Pragensis anno millesimo tricentesimo quinquagesimo quarto, coram quo ad reuerentiam Sanctæ Catharinæ virginis fabrica incipitur anno sequenti ipso Cæsare (quod est verè Cæsareum) in fundamentum deijciente lapide primum; sic enim iaciuntur & fundamenta regnorum. Adauget idem dotem fundationis, anno eodem, eximítq; locum ab oneribus: mox triennio pòst alijs gratijs clementissimè afficit. Desinentibus demum morte monialibus, deuolutum est ad Patres nostros monasterij Sancti Thomæ, eiusdem urbis, conferente Cæsare. Ludmilla à Weskouitz ultima Prior anno millesimo quingentesimo sexagesimo quinto sepelitur ibidem. Spectabilis est huius loci sacra turris, ob magnam proceritatem fulminibus odiosa; iucunda plaga, nobilitata Carlosio, domo Caroli, imò Dei. Causam autem fundationis fuisse ferunt, quòd Carolus dum de vita Pisis periclitaretur, virginem vidit astare gladio, propugnaréq; quam Catharinam martyrem fuisse credi dit, cuius deuotissimus erat. Quare postquàm ex Italia redijt, anno prædicto in gratiarum actionem hoc virginetum virgini ædificauit.

Pruck Germanicè, pons Latinè, cuius nominis plurima Germaniæ oppida, urbs Austriæ prope Laithen montem, sexto à Vienna milliari regionis illius, Hungariam versus, cœnobium habuit, ubi Osualdus Iudemburgensis Malogranatum suum composuit. Anno millesimo quadringentesimo duodeuicesimo, conuentum prouincialem, Bertoldo Ratisponensi Præside sustinuit. Millesimo verò quingentesimo tricesimo sexto Prior erat Ioannes Klopenstainer.

Quinqueecclesiense in Hungaria cum sex alijs monasterijs Thuiscorum, ante Ægidianum anathema, iugum regularis obedientiæ petulanter excusserat.

Racioffium, vernaculè Roczovv, Rothsou, & Rotzavv, archidiæcesis Pragensis, Saxoniam versus, quod inter Bohemiæ oppidula Hagecius affatim numerat, distat à Praga milliaribus septem, & à Melnicio totidem; locus nemorosus, & eremitis idoneus, ditionis Dominorum de Kolobrath: in cuius valle, quæ dicta est Beatæ Virginis, in honorem eiusdem, monasterium extruere supplicanti Alberto de Kolobrath, Capitaneo Regni Bohemiæ, quarto Nonas Ianuarij anni 1373. annuit Carolus Quartus Imperator, & Rex Bohemiæ; ac bona stabilia, ab Alberto addicta monasterio, pietate ingenua ab exactionibus, & grauaminibus quibuscunque ordinarijs, siue extraordinarijs eximit. Quod item confirmat Wenceslaus Romanorum Rex anno sequenti, die vicesimo tertio Aprilis. Hinc biennio consecrantur altaria, & Binoldus primus Prior Racioffiensis, unâ cum Nicolao, Prouinciale Bohemiæ; Leone, Priore Pragense; Sbinkone, Priore Insulano, in theologia Lectoribus, atq; Henrico Selnicz, Priore Melnicense, & Iacobo, Priore Albense, pactis subscribunt fundatoris, indulgentes tempori: quæ namq; uno tempore promittuntur, seruari alio tempore minimè possunt. Hoc anno, scilicet octogesimo à millesimo tricentesimo, feria secunda ante festum S. Laurentij fundationem complet Albertus pro monachis tredecim: quippe presbyteris nouem, & clericis quatuor: tum decennio exacto dormit in Domino, & ante altare maius sepelitur. Illud autem hic, quod & ante dicturus eram, obseruandum me vulgata dicendi ratione infra Germaniæ nomen Bohemica, Hungaricáq; monasteria connumerasse, non ignorans, aliud esse

regnum

regnum Bohemiæ,aliud Hungariæ; diuersa idiomata,diuersos mores : imò Germaniam ab Alemania distinguit Hieronymus in Vita Hilarionis; si non ut à genere speciem,certè ut à specie speciem [Inter Saxones, inquiens, & Alemanos gens est non tam lata, quàm valida, quæ apud historicos Germania, nunc Francia dicitur] Hodie verò Germaniæ superioris, & inferioris latissimo vocabulo & regna,& prouinciæ multæ continentur, & perinde est Alemaniam dicere,atq; Germaniam. An verò Alemania ab Alemano fluuio, an ab Als manner per etymologiã dicta sit;&,an Germania à germine;an à Gar ein man; an potius à germanitate cum Gallis,definiant ipsi Germani.

Radelspurgæ fuisse anno millesimo quadringentesimo septuagesimo octauo monasterium nostrum accepi ex descripto Paulo Veneto super Animam bibliothecæ nostræ Ratisponensis,in cuius fine legitur [Explicit primus de anima per me Fratrem Conradum Lutifigulum, secundũ famosissimum Doctorem, Magistrũ Paulum de Venetijs, correctus verò per me anno 1478.dum eram Prior localis in Radelspurga, die 27. Iulij] In actis verò Prouinciæ nostræ Bauariæ anni 1536. sub dispositione Districtus, Styriæ,Carinthiæ,atque Croatiæ post Firstenfeldense monasterium ita legitur [In conuentu Rakspurch remaneat Frater Breg. Graisler] quem puto eundem esse cum conuentu Radelsburgensi.

Ramsau, monasterium Prouinciæ Bauariæ, Comitatus Hagensis,prope ipsum oppidum Hag, à Monaco sex distans leucis,à Seemanshausen vix ultra; fundatur àGeorgio de Fraunberg ab Hag, anno millesimo quadringentesimo duodecimo,seu biennio pòst secundum Hunnium: sed Auentinus medium tenens, recenset sub anno tertiodecimo post millesimum quadringentesimum. Consentit, fauét-

fauétq; Epiſcopus Ratiſponenſis fundationi, quouſque tunc eius Epiſcopalis ditio protendebatur; & parochiam Kirchdorfenſem, cuius Ramſauenſis erat filialis eccleſia, eo pacto concedit, ut caſtrum Hochemburgenſe, quod oppignoratum habebat Georgius, poſt eiuſdem obitum cathedrali Ratiſponenſi abſque alia compenſatione recideret. Addítq; caploniam (ut vocant) Sancti Nicolai, fundationis virorum nobilium de Velbm, Romani Pontificis autoritate. Nunc verò Kirchdorf ad Epiſcopum pertinet Friſingenſem, & ſuum habet presbyterum: quod ut acciderit, nondum habeo exploratum. Concordat in his Hundius, de monaſterio agens: at ſuperiùs regeſtans Epiſcopos Ratiſponenſes, obiterqué fundationem eiuſdem loci tangens, inquit contigiſſe ſub Ioanne, Epiſcopo, Quadrageſimoprimo Ratiſponenſe, his verbis [Anno ultimo huius Epiſcopi Dominus Georgius de Fraünberg in Hag, fundauit monaſterium in Ramſau apud Hohenburg cis Oenum, Ordinis Sancti Auguſtini Eremitarum, ídq; cum conſenſu huius Epiſcopi, ad quem locus ille pertinebat] Sed hic Ioannes fuit creatus Epiſcopus poſt Albertum anno milleſimo quadringenteſimo viceſimo primo, occubuítq; anno pòſt ſeptimo, nempe viceſimo octauo poſt milleſimum quadringenteſimum; quo quippe anno fundatio monaſterij facta fuiſſet. Poſtea verò nil retractans eius, quod ſuprà de Epiſcopis dixerat, de monaſterijs agens, fundationem ſub Alberto collocat, qui ànno milleſimo quadringenteſimo nono fuit creatus Epiſcopus, & anno viceſimo primo à milleſimo quadringenteſimo deceſſit è viuis, infra quod temporis ſpatium cœnobium Ramſauenſe habet exordium. Creuit autem adeo proſperè, ut anno milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſecundo ſufferret onera comitiorum Ordinis prouincialium, in quibus vices tenuit Prioris Generalis, Andreas Byſman; cæterùm Luthe-

theranifmi rabiem, unguésq;, crebrefcentibus innumerabiliter catulis,non euafit : ut vix tandem recuperatum,Monacenfium Fratrum noftrorum adminiftrationi , & clientelæ, dilapidatis videlicet omnibus, committeretur. Quod Augustino Pfchier , Priori tunc Monacenfi , confirmat Petrus, Epifcopus Fanenfis , Nuncius per Germaniam Apoftolicus, donec aliter per Pontificem Maximum , fiue Ordinis noftri Prælatos prouifum effet , anno millefimo quingentefimo quinquagefimo primo. Tum verò Ioannes Cardinalis Moronus,Nuncius item Pontificius, Alberto Duce Bauariæ poftulante, Epifcopo Frifingenfi Ernefto committit, ut, fi monafterium Monachienfe fufficientes redditus,ad noftros gymnafij alumnos inibi educandos,non haberet,& Ramfauenfe in deferto loco effet , monachis deftitutum , adeóq; dirutum,ut fpes omnis reparationis abeffet , Ramfauenfe Monacenfi uniret : dummodo illud fuis non fraudaretur obfequijs,fed portarentur debita onera confueta. Quod,anno millefimo quingentefimo feptuagefimo fexto commiffum, anno millefimo quingentefimo octogefimo fuit operi mandatum : eóq; interftitio quadriennij perpicuè demònftratur non defuiffe motus,quibus unitores in aduerfam fententiam ferrentur. Quî enim fieri poteft , ut fuis quantulifcunque viribus vigens monafterium,ecclefiaftica onera ferre nequeat,ferat tamen poſteà viribus tranflatis, fi non extinctis? Hac certe via dum uni ferre opem credimus ; alteri, maiorem opem exigenti,non defolationem fternimus,fed euerfionem. Hísq; efcis hamatis haud uno in loco pleraque ecclefiaftica bona in laicorum fagenam latentem delapfa funt ; & monachatus tacito odio aut diffamatus , aut diminutus faltem , fi non deletus : qui tamen eò magis deberet effe amori , atque honori viro catholico,quò magis eft inuifus cuiuis hæretico. Sed ea eft humanæ inhumanitatis conditio , ut neglectis fuis

flagitijs enormissimis, aliena, quantumuis parua, magnificant errata, & illosos seruorum Dei, digitorum nodos oculatissimè obseruet Mundus, ipse immundus manens, corruptus præcordijs, & undique sordidissimus. Equidem nihil fore ecclesiasticis rebus tutius arbitror, quàm vel nunquam, vel id quidem rarissimè & rebus manupalpatis, quando omnino aliter fieri nequeat, locorum piorum suppressiones (ut benè vocant) admittere. Bauaricis rebus longè optimè prospectum est, Ducibus catholicissimis regularia protegentibus. Quod verò Albertus petijt, rogatu petijt Monacensium Fratrum: & hi commodum Monacensis monasterij, non ultra, quærebant. Sed Ramsauica dimembratio non diu mansit; nam anno millesimo quingentesimo nonagesimo secundo reparatis tantisper ædificijs, rebúsque in melius commutatis, fuit per Mauritium Tertium Parmensem, eo tempore Prouincialem Bauariæ, Ferdinando Comite Hagense, ex Ducibus Bauaris, desiderante, soluta unio, restituto Ramsauensi cœnobio pristinæ fundationi, ac priuilegijs suis. Nos verò inspecta rerum mutatione in visitationibus nostris, cupientésque monialibus Viepacensibus, eiusdem Prouinciæ, virginibus religiosissimis de altero ex vicinioribus monasterio (Schvvacense ad Brixinensis Antistitis curam iamdudum deuoluto) pro illarum propagatione, & commodo prouidere, ac simul cultum diuinum, opésque tenuissimas Ramsauenses in dies (quod monialium clausura, industria, dote satiùs fit) magnificando, ædificia fulcire nutantia; eadémque instruere nouis: qua via monasterium illud, auctum spiritualibus, ac temporalibus bonis, semel suis, ut alia, constaret integris viribus, consensu Principis Ernesti, Episcopi Frisingensis, Electoris Colonienfis, autoritate item Apostolica, & Diffinitorij eiusdem Prouin-

Prouinciæ, illud monialibus Viepacensibus, ut se habet Viepacense, saluo iure fundationis, communicauimus, ut in literis anno millesimo sexcentesimo septimo, die quartodecimo Decembris Ratisponæ expeditis. Quo anno, sumptibus monialium earundem, & auxilio Ferdinandi Ducis, clausura circunducta; refectæ, auctæqué ædes antiquæ; & pro sacellano, & socio, atque hospitibus, nouum muro ecclesiæ orientorum ædificium à primo lapide admotum. Supersunt adhuc libri aliquot veteris bibliothecæ, non minùs beneficorum religionem, quàm priscorum Patrum studia, & ingenia referentes. Delectat repetere, quod valde prodest. Bibliothecarum monumenta in singulis cœnobijs, non nostris tantùm, sed & alienis, & quantumuis exiguis Alemaniæ, in visitatione nostra Apostolica sub Clemente Octauo admirati sumus. Dignissima monumenta, unde licet non conijcere modò, sed & euidenti demonstratione concludere, quot eruditis, quantæqué eruditionis Patribus floreret quondam Teutonia. Hinc tot descripti codices laboris impensissimi; tot lucubrationes speculatiuarum disciplinarum; tot libri concionatorij: hinc splendida monasteria; lecturæ publicæ; præsulatus: hinc demum probitas vitæ, iam choro exercitatæ, iam literis. Quamobrem excuso edicto monuimus Fratres nostros anno millesimo sexcentesimo quarto, quod referre ad literam, ut iuuet historiam, non grauabor [Quantopere Illustrissimi Principes ac deuotissimi Patres nostri in ecclesijs erigendis, bibliothecis instituendis, cœnobijsqué ædificandis, in Germania cumprimìs elaborarint, testantur templorum machinæ, mirificè sumptuosæ, sanctarum reliquiarum copia, & ornatus; sacra vasa aurea, atque argentea; sacerdotalia indumenta, gemmis varijs, pretiosisqué contexta: librorum antiquitas, & numerus, in singulis monasterijs congesto-

rum , quorum ubique adhuc extant exuuiæ lacrymabiles; deniq; monaſteriorum eorundem prædia, pagi, oppida ipſa ſubiecta. Quæ omnia etſi bellorum depopulatione; hæreticorum uſurpatione; rerum, hominúmq; viciſſitudine, mutata alibi; alibi omnino miſerè amiſſa; diminuta alibi, à priſtino ſplendore deciderint, attamen huc uſque in ſuperſtitibus, tanquam in extremis radijs, clara illa ſuperiorum temporum ſpecies, maieſtas, pietas, exactiſſimè noſcitur. Nósq; deſiderantes, inuenta ad numerum reficere; & refecta, trans numerum augere, nedum ſeruare, quamuis de veſtra ſingulorum religione, vigilantia, integritate ſecuri ſimus, zelo tamen officij noſtri , diffinitionem factam in noſtro capitulo generali, Pariſijs celebrato anno Domini 1329. & in poſtremis conſtitutionibus Ordinis noſtri, parte tertia, capite decimo ſeptimo innouatam, huc ſeorſum, perſpicuéq; transferre voluimus. Mandantes ſingulis quibuſque Prioribus regiminis noſtri ſub præcepto formali, ut hoc tranſumptum, in tabula compaginatum intra ſuorum conuentuum bibliothecas affigendum curent] Continet autem conſtitutio excommunicationem latæ ſententiæ in quoſuis Fratres Ordinis noſtri diſtractores, alienatores, vel uſurpatores librorum librariæ, ſacrorum ſacrarij, & reddituum quorumcunque monaſterij. Ramſauenſe ſic eſſe puta.

[✠]

Rappol-



Ramsauense Monasterium

Rappolzvveil, in Alſatia ſuperiori, Prouinciæ quondam Rheni,& Sueuiæ,clauſtra monachis viduata, occupat.
Ratiſpona in Norico,ſeu Ratisbona, quaſi ratibus, Danubio elabente,amica, & commoda, Germanicè Regenſpurg, à Reginoburgo obſoleto; quod eſt Reginopolis vocabulo, quo etiam nominata olim eſt, finitimum, à Romanorum regijs,ſeu reginis caſtus (ut in ſua hiſtoria Bauarica notat Marcus Velſerus, Titus Liuius Auguſtanus) monachis noſtris ſub annum milleſimum ducenteſimum quinquageſimum quintum,occaſione miraculi venerabilis Sacramenti,monaſterium excitare peramplum deuotiſſimè cæpit: & ab Alberto, quem & Adalbertum nominat Hundius, Ratiſponenſe Epiſcopo, templum dedicatur. De quibus fundationis initijs Leonardus Pauolthz in ſua additione chronici Andreæ Reginoburgenſis ita ſcribit [Anno Domini 1255. quidam presbyter in ciuitate Ratiſponenſi corpus Chriſti pro quodam infirmo portans,in lutum profundum cecidit in loco, qui Iudenpurk dicebatur, hoſtijs ſalutaris Sacramenti diſperſis: ubi ſtatim facta capella in honorem Corporis Chriſti: poſtea verò monaſterium Auguſtinenſium Fratrum ibidem fundatur,Conrado Hiltprando,& Vlrico von der Prunſait magiſtris ſtructuræ exiſtentibus] Ieiunè nimiùm, & perfunctoriè de tanto miraculo agens,velut notiſſimo; tanto inquam, ut inde ciuitas ſuis condere ſumptibus auguſtum in eo loco, nedum monaſterium perelegantem, afficeretur. Quod ſanè cur factum in ea parte, eóque tempore eſſet,niſi quid mirabile illam hoſtiarum defluxionem comitatum fuiſſet,aut ſubſequutum? Accedit autem noſtratia, noſtræqué ætatis vulgatiſſima ſcribentibus, ut leui calamo id faciamus,faſtidientes tritiſſimis rebus multum operæ impendere, fallaci quadam imaginatione decepti,
ita

ita eas ſingulas innoteſcere etiam exteris, & innoteſcendas ſeculis quibuſque futuris, ut modò nobis, noſtríſq; nota ſunt. Secus verò, cum vetuſtiorum temporum res exploramus, in minimis ipſis, ac minutiſſimis rebus moras longiores nectimus, nullum lapidem non mouentes, nihil relinquentes intactum, ut luſtremus ſingula, vel abditiſſima: & quia virtus verſatur circa difficile, hinc maior laus hiſtorici. Quæ habemus, negligimus, quæ nos fugiunt, quibus caremus, ſectamur anxiè. Erat (fidem huc aduoco) in ea urbis regione, quam Iudæi incolebant, hoſtes crucis, pons ligneus, unde Iudenburck dicebatur, quò, velut in compluuium, ſeſe tecta imbribus, niuibúsq; exonerabant; ac de fœcata confluebat ciuitas, cuiuſmodi in locis putidis Iudæi, poſt Ieſum crucifixum, ac Titi, Veſpaſianíq; de eis triumphum actum, inter Chriſtianos hærere ſolent. Ea ſacerdos cum viatico ſacro pertranſiens ad fideles communicandos, pedum lapſu, id permittente Deo ad memoriam mirabilium ſuorum renouandam, decidit, & benedictas communionis hoſtias carſu diffudit. Tunc viſi (o mirum) alati cœlites deuolare, ſeruire creatori ſuo; viſi inquam colligere hinc inde ſacras placentulas, & reuerenter ad ciborium, unde defluxerant, reportare. Quinimò mirum, niſi feciſſent; atq; eidem cui miniſtrauerant in deſerto vincenti, ſeruirent apud Patrem triumphanti: eíq; obſequio famularentur Angelico, qui ruinas illorum conſortio impleuit humano: qui luce purior; cœlo ſerenior; Sole ipſo lucidior, omnia cœlorum culmina victo mundo tranſcendens, in eo Sole tabernaculum poſuit, unde, ut lux mundi, diuina, atq; ineffabili emanatione proceſſerat. Manet, ad hanc uſque horam, huius miraculi integrum, & illud quidem vetus, altaris pallium in eodem templo, ex lana colorata, opere textorio, & ſchemate vario; in quo & pons ſtratus, elatus fulcris; & presbyter chlamidatus, ruens; & effuſæ

& effusæ circùm portiunculæ Sacramenti ; & colligentes undique Angeli ; & sequens turba admirabunda, & pauens, utì in ingenuo, ac fideli antiquitatis testimonio, ad hoc usq; momentum visuntur. Porrò super eiusdem sacelli aram, verè ter sanctam, reconditorium prisco more pro eucharistiæ tabernaculo : in cuius ferreis valuulis idem miraculum, coloribus iam æuo attenuatis, & cum nigrore quodam obnubilato confusis, ita tamen, ut discernatur, eò deuotiùs, quò simpliciùs figuratum. Continuò indulgentias Episcopi complures nouo loco, qui Capella Domini dictus est, amplissimè applicant. Annóq; septuagesimo quarto à millesimo ducentesimo, sedente Lugduni Apostolico cætu pro concilio generali, Reinaldus Lucerinus, Hilteprandus Eistadiensis, Petrus Patauiensis, Bruno Brixinensis, Viuianus Mineruensis, Stephanus Cubsanensis, Ymerius Actiensis, Iacobus Mainensis, aliíq; Episcopi, thesauros ea de re fundunt, quotquot possũnt, indulgentiarum. Ab eo tempore cæpta est ad venerationem tam admirabilis Sacramenti, & fouendam fidelium deuotionem singulis quintis ferijs eo in templo post summum sacrum solennis processio clericalis : usúq; subinde recepta, & indulgentijs remunerata ; de qua Syluester Episcopus Chiemensis anno millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo, & Petrus Cardinalis, Episcopus Augustanus, & Vdalricus, Episcopus Gurgensis in collatis remissionum bullis anno millesimo quadringentesimo sexagesimo secũndo meminerunt, quæ singulæ in eodem monasterio, in quo scribimus, leguntur & hodie. Estqué adhuc sacellum sub choro pensili eiusdem basilicæ ad portam aquilonarem, habens subcauatum, inæratúmq; altare ; ubi opinor, vel pontis partem, in qua lapsus contigit, fuisse ; vel sacras miraculi hostiolas inclusas ; vel ad earundem honorem luminaria, & lampades (quod simillimum vero est) perpe-

tua


tua nutricatione confotas; illúdq; ſingulariter eſſe, quod ante Capella Domini vulgariter dicebatur. Non ruſticana hæc, ſed urbana geſta, inter ipſos fidei hoſtes Iudæos. Non deuotiſſimis fœminis hiſtoria credita, aut nocturnis viſionibus reuelata myſteria; ſed palàm id factum eſt, meridiante propemodum Sole, in urbe auguſta, caterua omnigena cęreis proſequente. Nec longè pòſt, altero non minore miraculo, ſanctiſſimæ eucharistiæ dignitas, veritáſq; comprobata eſt eo ipſo in templo, crucifixi recolendo ſpectaculo: cuius ex ligno ſimulacrum, quaſi fumigatum, nunc uſque cernitur; vultu nigricante; genis concauis; & barba paululúm ſecta, ut comis; ventre intruſo; corpore exeſo; pectoréque articulato, & tuberoſo; prominentibus ad numerum oſſibus; brachijs, tibiiſq; excarnibus; manuum, ac pedum digitis parùm, ruditérq; diuiſis; tenebricoſum undique, ac ulceroſum; deuotionem ſimul, atque horrorem ſpirans: cuius ſpecies eſt deformitas, ſed Chriſtiana; quam ars, non inſcitia fecit; pietas, non caſus; Scripturæ inſtructio, non phantaſia ſculptoris [Non eſt ſpecies ei, neque decor; & vidimus eum, & non erat aſpectus; & deſiderauimus eum deſpectum, & nouiſſimum virorum; virum dolorum, & ſcientem infirmitatem, & quaſi abſconditus vultus eius, & deſpectus, unde nec reputauimus eum] inquit Iſaias capite quinquageſimo tertio [Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit: & nos putauimus eum, quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra] Mouet ad lacrymas, ſuper omnes, quas unquam viderim, hæc una beata effigies; terrétq; adeo contemplantes, ut ad compunctionem urgeat peccatorum. Siue Chriſtum intueri quis velit patientem, ſiue ſe conterere delinquentem, hic oculos figat, & ſuorum, velut ſpectro formidabili pecca-

 torum

torum torquebitur; & paſſionis dominicè compaſſione cum crucifixo Ieſu cruciabitur. Ferunt & hoc: in eo altari, ubi hæc erat, colenda imago, inter ſacrum faciendum vacillaſſe ſemel de tranſubſtantiatione presbyterum: quo agnito ab eo, qui ſcrutatur corda, & renes, mox crucifixus excuſſa è clauo dextera; brachióq; extenſo, calicem è manu ſuſtulit ſacrificantis. O Deus, quàm potens es, & quàm ſuauis ſimul in iudicijs tuis. Habetur huius geſtæ rei memoria in limbo antiquiſſimæ tabulæ, intra quam crucifixus & modò manet, Germanicis caratteribus in hanc ſententiam [Semel titubanti presbytero de Sacramento, crucifixus calicem in eleuatione ſummouit è manibus] eadémq; traducta in picturas opere hiſtoriali, unâ cum miraculo hoſtiarum, in prægrandis, & admodum veteris feneſtræ chori ad Auſtrum coloratis vitris proſpicitur, alijs è regione ad uiam publicam feneſtris ex tenebrionum vertiginoſa lapidatine attritis. Ita ſimiæ, ne ſuam ſpeculentur deformitatem, deformant ſpeculum, atque comminuunt. Veritas autem euchariſtiæ in utraque ſpecie, geminato miraculo, ſeſe rudibus inſinuauit, & tardis corde, ea ipſa tempeſtate, qua magis à theologis diſquirebatur, alijs alibi interim ſignis mirabilibus diuinitùs oſtenſis, Thoma Aquinate, Doctore Angelico, in eam rem plurimùm laborante. Ipſe verò crucifixus in ſacrarij aram ad tutiorem cuſtodiam tempore noſtro tranſlatus. Familiare enim eſt aduerſarijs, imagines Diuorum hoſtiliter inſectari, fœdare, terere, ludibrioſè inquinare; ídq; omnino facere graſſatoriè, quod obſcænis laruis non item. Superſtat portæ, huius baſilicæ, ad Septentrionem ſimulacrum Genitricis Dei, æquè antiquum, ac baſilica; quod ubi, pius in Superos, coloribus renouandum curauit Georgius Ganſmayr Prior (& ego aderam) poſtridie conſperſum vidimus atramento tetertimo. O inferorum ethiopes. Non ſatis eſt nigrere conſcientijs,

ſcientijs, niſi & nigredinem offundatis Sanctis? Vndenàm, ſi non à corde hauſiſtis? à paludibus Acheronticis? Velitis, nolitis, ſpecioſiſſima eſt Maria. Denigrate, frendete; Nigra ſum, illa ait, ſed formoſa. Cant: 1. Poteſtis tingere, deturpare nequaquam. Vos, qui Deo ad aures loquimini, quando vultis, ſine ullius internuncio, aut interceſſione; vos, quibus nihil eſt curæ, nedum reuerentiæ, amicorum Dei, explodite eorum imagines à delubris veſtris: deturbate, comminuite, diſſipate, ut ſcitis, Beatorum ſtatuas: nos, qui eos religioſè colimus, & inuocamus, eorum quoque imagines, imò illos in imaginibus, veneremur: & crucifixi effigiem, ut incidi feſtinanter potuit, hic, ad pietatis frugem, ac diuinorum mirabilium monimentum, reuelemus.

[✠]



Einsmalß da verzweiflet ein Priester am Heiligen
Sacrament das er den kölch aufhub Nam Im
das Crucifix den kölch zu Regenspurg

Ratiſponenſium autem Patrum eximiorum anteſignani fuerunt, Fridericus Laicus, pro beato habitus, & in ſacello Sacramenti anno milleſimo tricenteſimo viceſimo nono ſepultus: Nicolaus Epiſcopus Caſtrienſis, anno milleſimo tricenteſimo ſeptuageſimo primo ſecus ſummum altare humatus: & Bertoldus, Doctor præclarus, de quibus ſuperiùs diximus. Viguerunt hic ſcholæ Ordinis, & locuples bibliotheca in toto eo ſpatio, eccleſiæ proximo, quâ nunc ſupernè à dormitorio ad oratorium itur: ubi muro interiecto orientorſum, quæcunque inuenimus librorum veſtigia, ſuperſtitibus pulpitis vetuſteſcentibus reſtituta, obſeruauimus, refecto nouis cubiculis dormitorio. Magnam hic olim habitaſſe monachorum turbam, ex multitudine feneſtellarum, atque cœnaculi ſplendida amplitudine, quò in comitiorum imperialium celebratione conuenire ſolet ſcribarum cohors, atq; dictata geſtorum omnium excipere, manifeſtè probatur. Noui & ego hac ætate ſenem Ratiſponenſem, qui ad ſeptuagenos hic Fratres degere ſe vidiſſe recordabatur. Quam loci affluentiam, ac magnitudinem indicat planè ſynodus Ordinis generalis, ibidem habita anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo. Pòſt autem Lutheraniſmo inualeſcente, ipſáq; urbe certatìm Lutherum exinde colente (propè dixerim adorante) labem pluribus ex partibus, ut & alia, ita & hoc patitur monaſterium. Quapropter de Epiſcopis Ratiſponenſibus ſcribens Hundius, hæc circa annum milleſimum quingenteſimum ſexageſimum ſub Georgio, Epiſcopo quinquageſimo primo, refert [Guardianus Franciſcanus ædificia ſui monaſterij pleraque demolitus eſt, magnis lapidum plauſtris diuenditis. Idem fecit & Prior Sancti Auguſtini, qui profugus decimas, & vineas à ſuo monaſterio abalienauit] tanta enim hæreticorum

 perti-

pertinacia eſt, ut non rarò vel inuitos ad petitiones ſuas deflectant animos, vel effringant: qua quidem & ipſam à Dominicanis Patribus extorſerunt eccleſiam Ratiſponenſem: in qua (animaduertente Deo) etſi iterum, atque iterum coram frequentiſſimo populo ſermocinaturus, ita mutiret prædicans Lutheranus, ut nec Ba fari poſſet; altero tamen ſuggeſto adiuncto ſequentis columnæ ſcapo, effari cœpit, ipſo interim priſco pergamo non ſuſtinente nouatorum blaſphemias. Dicerent ipſi caſum aliquem feciſſe hoc, non iudicium Dei, videntis, atque viuentis; ſcilicet ſubitò primùm ægrotante Miniſtro, deinde verò reualeſcente. Ita & Pharao, quæ patrabat Moſes miracula, non ad Deum referebat autorem, ſed ad prçſtigias, ad naturales cauſas, ad quiduis aliud. Sed unde euenit eſſe omnes Martinianos, quotquot in urbe, catholicorum verò præter eccleſiaſticos, ciuem eſſe, permitti nemini? Rurſus, cur hi, qui tanquam vallum circumiacent mœnibus, quantumuis multitudine bonum oppidum conſtituerent, omnes tamen catholici? ſanè quia magiſtratui parent illi hæretico; hi verò Duci catholico: illi ſubiacent urbi Imperij; hi verò Duci Bauariæ. Hinc liquet, quod ſuprà diximus, facilè fore omnes catholicos, modò hi, quibus præferuntur faſces, viuant catholicè. Quale modo ſit monaſterium, vide.

Rattem-




Ratisponense Monasterium

G

Rattemberga in Comitatu Tyrolensi, quinque ab Oeniponte milliarijs Germanicis; à Schvvacensi, monialium cœnobio, duobus; à Seefeldensi octo; à Monachiensi quatuordecim; & à Salisburgensi totidem, illustratur celebri monasterio Diui Augustini, ad Oeni fluminis ripam fundato à Ioanne Kumerspruker de Kuntelburg Barone anno millesimo tricentesimo nonagesimo, qui ibidem sublimè conditur, more priscorum. Consenserat fundationi Pilgrinus Archiepiscopus Salisburgensis anno millesimo tricentesimo octogesimo septimo. Honoratur comitijs prouincialibus anno tricesimo primo post millesimum quadringentesimum, in quibus Magister Georgius à Vallespeciosa Prouincialis eligitur. Ioannes Pies, autor loci, primúsq; Prior, vitam mortalem cum æterna (ut suggerit pietas) commutat anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto; eiúsq; cineres in antiquiori ecclesia requiescunt. Abundat monasterium (quantùm fert locus) sacris vasis, vestibúsq; ecclesiasticis pretiosis; & bibliotheca, olim congestissima, nunc non vacua, nobilitatur. Fluctuauit interdum, contraria temporum, hominúmq; administrantium conspiratione, re domestica satis infeliciter gesta, exclusis aliquot annos monachis. Verùm quantumuis multorum detrimentum bonorum passum fuerit, postremum nihilominus euitauit naufragium, Excelsæ Cameræ Oenipontanæ protectione, auxilioqué. Cuius & iam nunc pietatem ac vigilantiam sub Maximilano Archiduce religiosissimo quotidianis argumentis experitur. Cúmq; huic Seefeldense duntaxat, de quo agam inferiùs, his antehac annis cœnobium accesserit ex nostris in eo Comitatu, proximo Schvvacensi ad Brixinensem iurisdictionem (ut meminimus) auocato, Bauaricis & hæc duo monasteria sub uno Prouinciæ Præsule sociantur.

ciantur. Huc primùm ex monasterijs mihi commissis appuli superatis alpibus Tyrolensibus, cum præfecturam iniui Germaniæ: hoc mihi iter minus iniucundum, siue ex Italia veniens, siue in Italiam rediens: nam etsi aut per Heluetios, aut per Carnos, aut, traiecto Adriatico, per Liburnos fuisset mihi aliàs profectio commoda; placuit tamen semper eam urbem, quæ in limbo alpium sita est earundem, renascenti amore inuisere, ubi Cardinalis mei Seripandi ossa, in agone Ecclesiæ exagitata, eò gloriosiùs, quò humiliùs humata iacent. Ecquænam sepulchri pompa, non dicam merita, sed labores, quos exantlauit Hieronymus, æquaret unquam? Cœnobium autem Rattembergicum tale est.

[✠]



Rotenbergense Monasterium.

H

Raua, ab alluente flumine eiuſdem nominis nuncupationem adepta, urbs eſt in Ducatu Maſouiæ, & Archiepiſcopatu Gneſnenſi, duobus à Varſauia milliaribus Maſouicis, â Velunia triginta, à Xianzo viginti quatuor, ubi locorum ſunt ædes Ordinis. Hic monaſterium Beatæ Virginis, unum ex tribus, à Samouito, Duce Maſouiæ fundatis. Lignea in uniuerſum omnia. Subijcitur Prouinciali Poloniæ; & hoc primum nobis obuium à Sileſia Prouinciam intrantibus, Varſauiam verſus, ubi tunc regni comitia habebantur. Reliqua in cecanouia.

Raynolbienſis cœnobij memoriam ſuo Quadrageſimali æternam reddit Stephanus Wittembergenſis, Raynolbiæ prioratum gerens. Spectabat, credo, ad Saxones. Fuit hæc Prouincia, monachorum copioſiſſima, unde & conuentuum quantitas exiſtimari facilè poteſt; ſed nec veteres, nec neoterici huic negotio operam nauant. Prætermittunt noſtri, aliud proſequentes; negligunt ſummo ſtudio aduerſarij, quòd id non tenuem afferre ſplendorē monachatui vident: quam rem antè etiam annotauimus: etſi de regularium non Mendicantium monaſterijs agant quidā. Conſtat autem, ab ipſo anno ſeptingenteſimo ſeptuageſimo quarto, quo ſecundū aliquos Saxonia fidēChriſti ſuſcepit, monaſteria in urbibus fundari cæpta. Sed cum de hac Prouincia in Hiſtoria agemus, diſſeremus ſingula: &, quæ ex actis ſynodalibus accepimus monaſteria, recenſebimus.

Rheni Prouincia, & Sueuiæ, quæ quondā Argentinenſis, ab Argentina, nobiliſſima urbe, dicebatur, diues tunc monaſterijs ad triginta, tantum ob Luthericas faces, quibus vicina erat, concepit incendij, ut in fumum conuerſa crederetur. Quamobrem Seripandus meus literis ad Hofmaiſterum datis Romæ die tertiodecimo Februarij, anni milleſimi quingenteſimi quadrageſimi tertij, ait, nullam eius

Prouinciæ apud Ordinem memoriam per decennium, & amplius, extitisse (quippe ex eo tempore, quo Lutherus cucullo tandem abiecto, vel suos fecit, vel palantes monachos) gratulans ei, quòd vel renatam audierit ea tempestate: ipsámq; propterea à collecta absolutam esse declarat [Quæ vobis, inquit, iure remittitur ex generalis capituli decreto] Erat tunc Prior Prouincialis ipse Hofmaisterus, fuerátq; anteà, nam in officio à Hieronymo confirmatus, in quo multos annos, ad obitum usque, indesinenter perseuerauit. Tenet modò Ioannes Georgius Greyffenstein clauum Prouinciæ, Pater in magistribus laudatissimus.

Salisburgum, olim Iuuauium, idémq; Bauariæ pars alpina, nunc Principis Archiepiscopi sedes, sacríq; illius Principatus urbs metropolis præclarissima, & diues, Salsam annem, ut suum thalamum, porrectis hinc inde brachijs, coniugio æterno complectens, inter herbidum circunstantium montium conopæum, naturæ opus; octodecim à Monacensi, quatuordecim à Rattembergensi, duodecim à Seemanshausensi, ac decem à Rauensi monasterio distans milliarijs Alemanicis. In ædibus Mariæ Virginis à Miln, hoc est à moletrina dictis, ubi quondam collegium à Cardinale Burchardo, Archiepiscopo Salisburgense institutum fuerat, loco quaquauersum perspicuo, & salubri, vitæ monasticæ percommodo, & quantum regio fert, delitioso, sumptuosum monasterium à Wolfgango Theodorico, Archiepiscopo, & Principe, pro duodenis monachis, minus sufficienti dotatione fundatur anno millesimo sexacentesimo quinto. Atque die vicesimo Maij Fratres hinc inde euocatos ad numerum duodenarium, exultante urbe, introduximus: illúdq; monasterijs Bauaricis, quæ regulari dudum viuendi norma antecelluêre externa eius Prouinciæ, connumerauimus, latis legibus, regulæ Aure-

lianæ vicinioribus; quod omnibus locis,nuper fundatis,expedire magis duximus,quàm ipsas opes: nam ſicut perquàm arduum eſt,ut homines, niſi à pueritia caſtigatis moribus ſedulò imbuantur,eos retineant grandiores,ita & monaſteria. Anno autem ſecundo poſt fundationem fabrica, Principis ære ex conuentione, feſtinanter prouecta, auctáq; ſub Iacobo Piſtore, primo eius loci Priore, conſummatur. Suapte natura eſt ingenium Principis Theodorici, ut Memphiticas moles,ut Salomonis fabricas proximè æmuletur, æquè atque is videatur ad eccleſiaſtica promouenda, ferè dixerim ad Mundos erigendos,omninò natus. Norunt hæc,qui antehac Salisburgum viderunt, modòq; dicere poſſunt, Salisburgi nomen in ſitu duntaxat ſubſtitiſſe: cæterum nouam Memphim,nouam Ieruſalem, Bizantium nouum, velut ex aquis Salſæ exiluiſſe. Nihil non hæroicum exorditur; nihil non ſacrum,& propè diuinum,non aggreditur abſoluturus: eáq; celeri, atque incredibili expeditione, quæ decet tantum virum,& tantas vires. Ne mihi iam illud Iſocratis recites,rhetoris eſſe,ex paruis magna, ex magnis parua facere: nam illud veriùs rhetoris eſt,parua,ut parua; magna, ut magna,oſtendere: quanto magis hiſtorici? Non rhetoricor; nil exaggero: hoc certè cuperem,res,utì ſe habent,poſſe deſcribere. De his agimus,quorum nec teſtes deſunt, nec latent opera: ſi, diſcuſſa humanarum paſſionum caligine,à lino ſericum diſcernamus, aurum à calybe. Cœnobij figura hæc eſt.



Salisburgense Monasterium

Saxonica monaſteria , de quibus paulò antè in Raynolbia nonnihil diximus, Thuringianis ſic nectebantur, ut unum haberent Priorem Prouincialem: eadémq; tot erant, tantóq; grege monachorum referta; ut ea peſtis, quæ ab anno milleſimo tricenteſimo quadrageſimo ſexto ad luſtrum uſq;, quaſi cenſendo hominum capita, uniuerſas terras luſtrauit, duáſq; mortalium partes ſuſtulit , ſufferret etiam ab Ordine noſtro Fratres octoginta quatuor ſupra quinquies mille, quorum ducenti quadraginta quatuor erant Saxones. Horribilem coniurationem temporum. Tria ſecula tribus cladibus, ut tribus lanceis confederunt Ordinem: primum peſte; ſecundum ſciſmate; tertium hæreſi: trecenteſimum ſupra milleſimum adortum eſt corpora; quadringenteſimum diuiſit animas; quingenteſimũ confecit has, affecit illa. Qua Deus animaduerſione ambientes Abſalones punit, oſores parentũ, Dauidum cõtemptores.

Schontal habetur in Valleſpecioſa.

Schlaiſaim, Bauariæ pagus, uno à Monaco milliari Germanico, lacerationem ſignificans, cui minor eiuſdem nominis non procul acceſſit, nouem ſacellulis, haud multum inter ſeſe diſtantibus, in ſylua non admodum imiti, eremitico cultu ad deuotionem acuendam , incitandúmq; ad cœleſtia ſpiritum, utì roſario , coronatur: quo etiam numero quæ priùs ſeptem, modò nouem, viſitantur eccleſiæ Vrbis. Altera hæc Pauli Eremiarchæ Thebais, Antonij Ægyptus, Hieronymi Bethlehem; altera Auguſtini Patriarchæ Africa. Hic illa ex rudi cortice tuguriola, aquarum ductus agreſtes, arborum opificia, monachorum contra otium otia iucundiſſima. Cuſtodiunt ſinguli eremitæ ſacella ſua; habent ſinguli cellulam, hortulum, puteolum: nent, glomerant, pingunt, cæras liquant, & candilant: operi quiſque ſuo, quod orationi ſupereſt, momentum impendit.

pendit. Nihileſt,quod eorum aures exturbet,præter campanulas, & peregrinos aliquot, quicunq; eò, pietatis officio, properant. Inter hæc ſacellum viſitur, Diuo Rhenato ſacrum,non procul à Diui Guilhelmi, & aula Principis. Illi cœnobiolum (eremulum dixerim propiùs, ſtructuræ prorſus eremiticæ) hortulo paulò maiore,& officinulis, pro myſtis noſtris,conſenſu Erneſti, Archiepiſcopi Colonienſis, Ordinarij Friſingenſis, à Principe Guilhelmo fratre, omnibus Chriſtianæ pietatis operibus deditiſſimo, anno à partu Virginis milleſimo ſexcenteſimo ſexto adijcitur,& ſecundo Iulij ſub eremiticas leges iuxta rigorem originalem Ordinis, monachis exhibetur, Auguſtino Fues, primo Priore. Fecimus Monachium Oxirinco ſimile, in quo vigintimillia virginum, decem millia monachorum; atqui ſi comparationem ad uniuerſam Bauariæ ditionem extendemus, dicemus meritò, Ducatum integrum urbibus, villis, nemoribus ipſis, mores religioſos monaſteriorum referre: atque Schlaiſamiticis tuguriuncuculis Paleſtinam Hilarionis ſancta æmulatione inuadere; in quibus (quid ultra monachus? perennes ædes, nullo lapide terminatas, nobis ædificare; mandata Dei, victa carne ſcrutari; & ſacra ſtudia, quieta mente, exercere poſſumus: quæ omnia Sanctus Proſper Aquitanicus in epigrammatibus ſuis ſuper ſententias Diui Auguſtini, hoc hexaſticho comprehendit.

[Scrutari legem poſſunt utcunque quieti,
Si mundi à ſtrepitu libera corda vacent.
Vt mens ergo pijs ſtudijs intenta iuuetur,
Prælia diuinus carnea vincat amor.
Nam templum Domini per ſacra ſilentia creſcit,
Et tacitè ſtruitur non ruitura domus.]

Eremi autem Rhenatenſis contignatio ad hunc ſe modum habet.

Schuten-



Shleisshamense Monasterium

K

Schutenhouen, Bohemiæ oppidum. Hîc Ioãnes Bohemorum Rex ſupplicanti Eliſabethæ coniugi concedit, ut Fratres noſtri ædificent monaſterium literis expeditis Pragæ menſe Iunio, anno milleſimo tricenteſimo triceſimo nono. Vide Sicca: & in Hiſtoria magna tomo quarto, ubi diſſero, cur in fundatione cœnobiorum poſtulabatur alicubi facultas Principum.

Schvvatz, urbs Tyrolenſis ad Oenum, duobus à Rattemberga milliaribus nationis, monaſterio decoratur tituli Sancti Martini: ubi moniales noſtræ, quæ à plerique annis Epiſcopo parent Brixinenſi; olim verò Prouinciali noſtro Bauariæ.

Seefeld villa infra ardua iuga montium Tyrolenſium, piſcinis, ſtagníſq; amica, unde appellationem meruit, ab Oeniponte archiurbe tribus diſiuncta milliaribus patrijs; & ob rectum iter Italiam verſus, indéq; in Sueuiam, Bauariámque, ut quælibet floridiſſima ciuitas, Germanis, exteríſque notiſſima; templum habet parochiale Sancti Oſualdi, à Friderico Archiduce Auſtriæ poſt miraculum venerabilis Sacramenti, milleſimo quadringenteſimo triceſimo primo in hanc, ut eſt, formam erectum. Cui Maximilianus Primus monaſterium pro monialibus anno decimo octauo poſt milleſimum quingenteſimum magno ſumptu à fundamentis admouit; quod, morte interrumpente etſi uſque ad culmina, & ad tecta, imperfectum tamen deſeruit. Huc Maximilianus Archidux, Rudolphi Cæſaris frater, Magnus Teutonici Ordinis Equitum Magiſter, viris omnibus religioſis, tum noſtris propenſiſſimus, & Camera Oenipontana monachos noſtros admittit anno quarto poſt milleſimum ſexcenteſimum Excelſi Regiminis acceſſione conſilij. Conſentit, & parochiam cedit Chriſtophorus Andreas Epiſcopus Brixinenſis, viceſimo

ſexto

sexto Iulij: & vicesimo primo Septembris, anni eiusdem, introducimur, Georgio Humelio Francone, primo Priore. Saxis, ac syluis horridus; niuibus, & glacie ferox; eremiticæ tamen vitæ, pœnitentiæq; maximè commodus locus; atq; pristinum (quod laudarem in alijs) redolens institutum: nam, scis, Antonij eremitæ fama excitatus, surrexit Augustinus ad Christum; & antequam sacro baptismate initiaretur, in rus secessit, Mediolano relicto. Mitto iam Simplicianum, eremitásq; Etruriæ. In Africam regressus agrestem vitam, sed religiosam duxit cum suis: & unctus presbyter, coactúsq; ad munia obeunda sacerdotalia, imò etiam partim Episcopalia, à Valerio, non intra urbem, sed extra, tametsi prope in Episcopi horto edidit monasterium. Sublatus item ad Episcopatum redijsset ad solitudinem, ut libro decimo Confessionum, capite ultimo confitetur, nisi charitas pastoralis, qua gregem suum pascebat, Christo Iesu dictante, vetuisset. Hac de causa introducti demum Eremitæ nostri in urbes, nimirum, pro faciendo sacro, pro absoluendis pœnitentibus, pro explanando euangelio, & huiusmodi: & hoc maximè Alexãdro Quarto, Pontifice, Ordinem congregante, magnificante, & fernè denuò instituente. Prosunt sic alijs, qui sibi anteâ proficiebant. Prosunt & sibi modò; quia quòd alij benè viuant, in eos redundat meritum, propter quos benè vivunt. Proderant antè & alijs; quia & pro eis orabant, eísq; exempla Christianæ pietatis, ac pœnitentiæ exhibebant. Sed quantum rigoris remissum sit monasticæ disciplinæ, postquam urbana facta sunt monasteria, experientia docuit; nec sine euidenti mendacio negare possumus. Temperat autem solitudinem Seefeldicam quotidianus itinerantium transitus, quem paulò antè meminimus; exhilarat frequens peregrinatio hominum ad Osualdicum templum pro soluendis votis, pro impetrandis gratijs, pro inuisenda sacra hostia, & adoranda.

Quapropter non priùs deconare aër, & mitescere hyems incipit; non priùs deferuescere æstas (quæ breuissima Alemanis est) quàm eò undique commeare festinent homines; hi deuotione tracti, hi etiam curiositate. Quæ magna confluentia peregrinorum miram attulit affluentiam sacrariorum. Tu verò, qui tantùm abes, eius saltem, quod exteriús in Seefeld est, percurre imaginem.

[✠]



Seefeldense Monasterium. L

Seefeldicum verò miraculum, unde alia, atque alia ſubſequuta, euenit ita. Oſualdus à Milſer, loco Halæ Oenipontanæ proximo, dictus Milſerus, cùm præſideret in Schloſberg, caſtro in finibus Comitatus illius, Bauariam verſus, anno milleſimo tricenteſimo octogeſimo quarto communionem ſacram ſuſcepturus diebus paſchalibus, in Seefeldenſe templum, illi vicinius, ac finitimum deſcendens, ambijt maiorem hoſtiam, qua celebrant ſacerdotes, eámq; à presbytero requiſiuit. Qui vel nobilitate hominis ductus, vel ſimplicitate propria, vel potiùs inſtinctu diuino, alterā pro eo, quantam poſtulauerat, cōſecrauit. Hanc ille ore acceptam, cùm lingua traijcere, mirabiliter ab offenſo numine coërceretur, in terræ chaſma, de repente hiantis, ad genua uſque delabitur: dexteráq; ſiniſtrum altaris labrum pro adminiculo apprehendens, nouit vel inde ſe lapide duriorem: etſi enim integra, grauis, ſolida menſa eſſet, nonnihil tamen eorſum dependens, velut abominans præuaricantis manus, ſtigmata infoſſa ad hanc uſque horam retinet contrectantis. Mox ſacerdos hoſtiam ab illius ore retrahens, & ſanguine miraculoſo affectam, velutì carnem viuam, morſu dentium ſauciatam, tremebundus aſpiciens, veneranter ſeruat. Tum Oſualdo humiliato, ſuúmq; piaculum precibus expiante, famulus, reuerſus domum, coniugi domini ſui, cunctantem virum expectanti, rem adamuſſim narrat. Muſſat hoc nuncio fœmina incredula; & iteranti magis perfidioſa. Credam, inquit, anteà ex hoc arido caudice oriri roſas; quæ (mirum) dicto citiùs, ad illius fidem excutiendam, redarguendámq; infidelitatem, tanquam ex virenti roſario germinare viſæ. Ipſa durior, atque infidelior, eas irata excerpens, proterens, conculcánsq; furijs inde agitata amentiæ, per Scharniticam ſyluam vagabunda diuino iudicio perijt.

perijt. Multis hanc tractauimus historiam, ad religionem
sanctissimi Sacramenti optime meritò amplificandam, in li-
bro De quantitate hostiæ, eodem fundationis huius mona-
sterij anno Pragæ excuso, qui incipit [Comitatus Tyrolen-
sis] ad quem remittimus ulteriora sciscitantem. Sed & hoc.
Ferunt, quarto post hoc miraculum anno, obsessum à dæ-
mone, in montibus peruagum, ut paulisper â vexatione
quieuit, fretum huius fama miraculi, in Seefeld accessisse:
quando autem peruenit ad circumiacens cæmiterium, in-
gressurus sacellulum Deiparæ Virginis, quod in vestibulo
eius est, ab irato Satana, exire coacto, fuit in lapideo ostij po-
ste adeo furenter capite pulsus, ut fusus inde cruor, tanquam
riuuli, nuncusque ibi impressus videatur: abrasáque sæpe
superficies, semper easdem retineat maculas rediuiuas; non
velut naturalis venæ, cuiusmodi millenis in lapidibus repe-
riuntur, ludente etiam saxis natura: sed ut lanæ purpura
madefactæ. Nunc quandoquidem duplex sanguinis mi-
raculum, Filij unum, Matris alterum, hîc commemoraui-
mus, addemus & tertium Præcursoris ad illustrandam ca-
tholicam fidem; quamuis non Seefeldicum (quis numeret
singula Seefeldica? à nostris tamen ecclesijs petitum, & non-
dum alijs literis commendatum. Adsunt Neapoli in sacrario
monasterij mei Sancti Ioannis ad Carbonariam urnulæ quę-
dam obsignatæ orificijs, seruatæq; in cistula religiosè absque
ulla schedæ distinctione. Fama est impleri eas Beatorum cru-
oribus, cineribúsq; quibus Ladislaus Rex, monasterij illius
fundator, in eo templo sepultus, vel soror eius Ioanna, quæ
ei in regno successit, sacrum locum ditare voluerit. Has Syl-
uester Calenus, æditus, pia curiositate permotus, exponens
aræ, festis quibusdā solennioribus, obseruánsq; nunquid no-
uitatis in ulla illarum appareret operatione diuina; unde ad
quos

quos Sanctorum spectarent reliquiæ, cognosceret; ídq; precationibus, ac sacrificijs sæpè faciens, vidit tandem in una ex urnis, quæ obdurato, nigróq; sanguine plena erat, ut is vix pro sanguine haberetur, rubore viuido cruorem tingi, mox sensim liquescere, tum etiam moueri, & subsilire, ut tunc effusum à viuo corpore: & hoc quidem ipso die Decollati Ioannis: quo festo singulis deinceps annis idipsum accidit, & fortè accidebat & anteà, nescijs Fratribus: atque ex eo tempore pro sanguine honoratur Baptistæ eiusdem confluente populo, & admirante. Nósq; anno millesimo sexcentesimo seruientes Fratribus in illius Congregationis magistratu, affectíq; pio desiderio videndi singula; qua hora; quo ordine; qua transmutatione id fieri inciperet, desisterétq; nonnullis ante festum diebus, clenodio urnulæ superposito aræ, dum sacrum faceremus, attendebamus quotidie, quid eueniret: cúmq; nihil unquam horum inspiceremus, angebamur dolentissimè, refundentes id totum in culpas nostras. Pridie verò festi, hora nona, cùm summo altari sacra urna in suo ferculo esset exposita, orarétq; ante eam Paschalis à Libano, Pater laudatæ probitatis, ac deuotissimus, qui tunc erat à sacris, & cum eo clerici aliquot, & qui postremo sacro adfuerat populus, mutari primùm sanguis tantisper incepit, tum colorari; deinde similis ceræ, vicinæ igni, liquefieri; denique rarescere, fluere, ebullire, usque ad labellum urnulæ: mirabiliùs autem circa horam tertiam eius diei festi, ad meridiem usque. Quod per octauam quotidie accidit.

Non possumus, quæ vidimus, non loqui. Seefeldicæ verò hostiæ miraculum hic potes commodè meditari.

Seemans-


Z
M

Seemanshausen monasterium, quod Auentinus Seemanshusium, & cum eo Hundius contubernium nominat, in nemorosa, sed frugifera Bauariæ inferioris plaga prope Gainkouen, castrum olim Comitum de Leonberg, fundatorum cœnobij Viepacensis, inter Oenum, & Isaram fluuios, quatuor leucis à Lantshuota, urbe prætoria, Henricus, siue Hainricus, Bauarus, ex nobili familia Seeman, Decanus cathedralis Ratisponensis, quem Archidiaconum, & Chorepiscopum Auentinus appellat, & sectator eius Hundius, quasi in verba iuratus, anno millesimo ducentesimo quinquagesimo quinto piè fundat, ac, tanquam Seemãni domum, à suo cognomine denominat, uniens illi curiam in Polnkhouen, & Hueban in Esselberg, & curiam in Fravvenhouen, pro eremitis monachis Sancti Guilhelmi. Cuius literas vidi in eodem conuentu datas dicto anno, duodecimo Kal: Maias. Quo tempore Albertus Episcopus Ratisponensis, donationem, fundationem, & erectionem con firmat. Et non multò pòst, indulgentias, cœnobium visitantibus largitur anno eodem, sexto Idus Augusti, quarũ diploma incipit [Cùm nonnullæ plantationi Fratrum eremitarum Sancti Willielmi in Polkouen] Accidit hoc ipso anno miraculum eucharistiæ in ponte Iudæorum, ibíq; datum monasterio nostro initium (ut diximus in Ratispona) quo oppido concitatus bonus Decanus, monasterium alterum in sua ditione fundare voluit: eóq; facto, ex hac vita migrauit. Prostant stemmata eius lapidea in nostro templo cum hoc monimento [Anno Domini 1 2 5 5. obijt Venerabilis Pater, Dominus Hanricus Seeman, Decanus ecclesiæ Ratisponensis, fundator huius monasterij] Triennio pòst Chunradus, Episcopus Frisingensis, eosdem Guilhelmitas in clientelam recipit, præcipítq; suis, ut eos ad verbi diuini prædicationem admittant: & audientibus

conci-

conciones eorundem,ſpe indulgentiæ conſequendæ,triginta dies criminalium de iniuncta pœnitentia relaxat. Anno autem milleſimo ducẽteſimo ſexageſimo ſecundo Thomas Epiſcopus, & pro reformatione Salisburgenſis Eccleſiæ delegatus, altare conſecrat ad honorem Beatæ Mariæ Magdalenæ,qui eſt eiuſdem baſilicæ titulus, & ſuas indulgentias erogat. Quas,& alias confirmat Leo Epiſcopus Ratiſponenſis,ſuáſq; addit ſequenti anno: ſicut & anno ſexageſimo ſeptimo à milleſimo ducenteſimo Vladiſlaus, Archiepiſcopus Salisburgenſis, & Chunradus, Epiſcopus Friſingenſis, ſuas. Alexander Quartus bulla ſpeciali commendat eos Epiſcopo Patauienſi, quæ data eſt Anagniæ, decimoſeptimo Iulij, Pontificatus anno ſexto: & altera bulla, eorundem menſis, & anni, reddit eos de incertis reſtitutionum, & legatorum, ac votorum permutatione capaces. Leo verò,Epiſcopus Ratiſponenſis, ex vi bullæ unionis Alexandri eiuſdem, inſtigante Guido,Prouinciale noſtro Bauariæ,coram Dominicanis,& Franciſcanis Fratribus, ad hoc conuocatis, eos Ordini noſtro unit anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimo octauo,ſexto Idus Februarij. Qui deſuper adepti literas, humiliter paruêre. Auentinus, & Hundius, ſuppreſſo nomine fundatoris,aut cognomen in nomen vertentes, eum Seemannũ vocant: & deuiantes ab anno, ille ſub anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo tertio, hic propiùs circa annum milleſimum ducenteſimum ſexageſimum fundationem ponunt. Miror Boios hiſtoricos, ſuæ gentis monaſteria deſcribentes,adeo perperam in nominib⁹, temporibúſq; deliraſſe. Sed ita contingit, cum vel alios autores velatis oculis ſectamur; vel ſcripta,ex quouis fonte deprõpta,febrienti ſiti haurimus,viſibilliſſimis aliunde ſcripturis in prõptu reclamãtibus. Tutiùs ſanè,ac puriùs electarum rerum Bauaricarũ hiſtoriam texuit Marcus Velſerus, Auguſtanæ urbis Duumuir

prudentiſſimus: etſi potiora eligens,ad ſingularia huiuſmodi (quæ nihilominus ad Politiam tendunt) aureum calamum non deflectat. Erat ergo dignum recognitione officium Ordinis antiquum in ipſius Sancti Guilhelmi vita, in qua eum ſuſcepiſſe monaſterium in Saxonia Portæ cœli, & in Bauaria Vallisſpecioſæ, & Sanctæ Mariæ Magdalenæ legebatur. Hoc enim Magdalenæ fundatum eſt, ut dixi anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo quinto, & Sanctus Guilhelmus ſecundum Pamphilum anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo octauo tranſmigrauit in cœlum; annis certè ſeptuaginta ſeptem à Guilhelmi obitu ad fundationem Seemanshauſenſem interfluentibus: qui iſipſe locus eſt Sanctæ Mariæ Magdalenæ. Niſi fortè (ut ſtudium ſolet eſſe excuſatium quælibet) vel aliud eiuſdem tituli monaſterium noſtrum in Bauarico tractu velimus mente concipere; vel alium,de quo ſit ſermo,Guilhelmum ſuperinducere: ſiue (quoad tempus) in numerales notas (ut vulgare eſt) errorem reijcere, quicunque eſſet. Profectò Seripandus floruiſſe Guilhelmum ponit infra annum milleſimum centeſimum quinquageſimum: quo quidem in loco calculus typographicus manifeſtè lapſus eſt : nam infra quadrageſimum quintum, & quinquageſimum quartum numerum ſignauit pro quinquageſimo quadrageſimum. Eum verò migraſſe ad Dominum agit anno milleſimo centeſimo quinquageſimo ſexto. Faſciculus temporum ante annum milleſimum centeſimum quinquageſimum quartum, ſed ſub milleſimo centeſimo quadrageſimo quarto de eo agit: & Iacobus Philippus ſub anno milleſimo centeſimo quinquageſimo ſeptimo. De qua varietate diſcuſſionem habemus exactam in Guilhelmo Hiſtoriæ magnæ. Hoc modò ſufficiat,non concordare Guilhelmi ætatem cum fundatione Seemanshauſenſi. Cur (ut hoc adijciam) Iordanus, probitate, beatus;

professione

professione Augustinianus; natione, Saxo; scribendi peritia æquè historicus, ac theologus, in eo nobilissimo libro, quem Vitas Fratrum nominauit, in quo de rebus Ordinis ex professo agit, & multos clara commendatione commemorat, nullam facit Guilhelmiticæ fabricæ, aut reformationis mentionem, factæ in Alemania, in Saxonia ipsa, ut rei maximi ponderis; imò nec Guilhelmum nominat? Sed in finem propero. Non caret hoc cœnobium sua bibliotheca, libris referta antiquis: illud verò sic esse puta.



Sernotishausense Monasterium.

Sicca, oppidum Pragensis diæcesis in Bohemia, monasterio fulsit sexdecim, & ultrà monachorum, quod Bohuta Archidiacono, & Ioanne Paduano, Canonico, auersantibus, non absque vi destituitur. Hoc mihi exploratum. Joannes Vicesimus secundus Priori nostro Generali concesserat, ut in singulis Prouincijs monasteria nouem capi possent: nimirum tria ubilibet, etsi alij ibidem Mendicantes essent; sex autem ubi nullum eorum monasterium esset; non obstante bulla Bonifacij Octaui de non suscipiendis absq; Apostolica autoritate monasterijs: ita scilicet concedente Ioanne, ut duodeni in illis, non pauciores viuerent mystæ: qua autoritate usi sunt Patres in Siccensi cœnobio suscipiendo. Lite quadam deinde orta, committitur causa Præposito, & Decano Pataviensibus à Benedicto Duodecimo, Pontificatus illius anno quinto. Huius inter monasteria Bohemica nullam facit nominationem Hagecius: ego verò id ex diplomate Pontificio, atq; ex membraceo codice perantiquo Pragense accepi. Et nisi tanta nominum distantia contrarium suaderet, non difficulter vincerer coniecturis, illud idem esse cum Schutenhouen.

Simon Cremonensis, quamuis Italus, sermones tamen dominicales ab eo themate [Abijciamus opera tenebrarum] descriptos in folio, forte retinet in nostris ædibus Ratisponensibus. Exorditur autem [Doctor egregius, Doctorum speculum Augustinus.]

Simon, Episcopus Castorensis, Viennæ claruit, & in claustris eiusdem monasterij condens sacellum Sancti Sigismundi pro quatuor in hebdomade missis illud dotauit. Vita fungitur eadem in urbe, & in nostro templo sepulturæ datur, hac sculpta inscriptione in lapide [Anno Domini 1390. obijt Reuerendus Dominus Frater Simon Ordinis Sancti Augustini, Episcopus Castorensis, prima die mensis Decembris sepultus.]

Simon mniſeuius, Louicenſis, Polonus, Doctor theologus anno Chriſti nonageſimo primo à milleſimo quingenteſimo, ætatis ſuæ quadrageſimo, Prouincialatus undecimo, excedit è viuis; & Cracouiæ in ſacra æde Diuæ Catharinæ ante altare maius humatur. Præco diuini verbi ſapidus, Ferdinando Auſtriaco carus, carus Stephano Poloniæ Regi, cui & Latinas interdum dixit conciones quadrageſimales. Edidit tabulam copioſam in tres ſectiones De ſacrificio miſſæ, ut totius de eo myſterio manuale compendium; & Eraſmo Debinchio, Decano cathedralis Cracouienſis dicauit anno ſeptuageſimo octauo poſt milleſimum quingēteſimum, Venetijs impreſſam, cùm is eſſet in theologia Baccalaureus. Logicalium quoque librum, inſcriptum [Prima operatio intellectus] Et compendium naturalis philoſophiæ. Præterea De felicitate hominis tractatum tripartitum, dicatum Andreæ Firleio Palatinitidæ Cracouienſi [Conuenêre his diebus] Quæſtiones aliquot metaphyſicales, & primi libri Sententiarum; atque tabulas concionabiles De Sanctis, & De tempore tomis tribus. Super ſecundum phyſicorum: De generatione, & corruptione in modum epitomes; & alia fragmenta, quæ ſcripta legi Cracouiæ apud noſtros, autoris manu.

Spirenſe monaſterium Prouinciæ Rhenanæ, olim ampliſſimum, ſupereſt & hodie, mutilatum: & (quod tolerat patientiſſimè Deus) in noſtro ipſo templo, à choro infernè, cogimur ſingulis feſtis (quin quoties eis placet) Lutheranos prædicantes ſuſtinere & nos patienter, myſteria ſua pro libito peragentes. Ob quam rem, neſcio quæ conuentio impia, ac permutatio cum ambiente loco ad hortum, facta perhibetur, quando ſecta illa ferueſcebat magis. Magne Deus, ſi hæc non eſt, quænam erit illa abominatio deſolationis, ſtans in loco ſancto, de qua Daniel, & ipſe Ieſus?

Iesûs? Cellæ adhuc multæ, & libri multi, opes perpaucæ. Huc Prouinciæ uniuersæ conuentum aduocauimus anno septimo post millesimum sexcentesimum: & electus Prouincialis Georgius Greyffenstein, de suis Patribus benemeritus, vir prudens, & officiosus. Quæ hic decreta, leges tomo secundo Historiæ magnæ: & de Friburgensibus, & Constantiensibus cœnobijs, Moguntino, Colmariensæ, Gamundiano, & alijs eius Prouinciæ, quæ modò vigent, tomo tertio.

Stanislaus Iandrouius, Cracouiensis, Doctor disertus, atque dicendo vehemens, prędicat multis annis Cracouiæ in Beatæ Virginis ab Assumptione ædibus parochialibus, Lutheranismo fores altiùs pulsante. Fuit Sigismundo Poloniæ Regi, à concionibus, & confessionibus; ac Prouinciæ suæ non paucos annos habenas tenuit. Talibus enim viris magistratum æquè ac vitam prorogare, plurimi interest Reip. Sed rara exempla. Quieuit in Domino Varsauiæ septuagenarius, anno octogesimo quarto à millesimo quingentesimo, & ante sacrarium nostrum Diui Martini sepelitur.

Stephanus Sutorinus, Ratisponensis, in theologia Lector, & concionator eloquens, floruit anno Ordini nostro climacterico, nempe decimoseptimo post millesimum quingentesimum: quo Viennæ magna cum laude euangelium docuit; & opus aureum, ac magnum librorum quindecim De religione Christiana Beati Simonis de Cassia, à mendis scribarum retersum, curauit imprimendum Basileę: quem ad Theobaldum, concionatorem Germanię facundissimum ex Franciscana Religione direxit, epistola, quę incipit [Propter Simonis Casiani] ubi inter alias laudes de ipso Beato Simone historicè tactas, miraculum illud commemorat poculi cęlitus propinati, his verbis

 [Ado-

[Adolefcens coram Chrifti imagine verenter, ut folebat, genua flectens, formofiffimum puerum, calicem geftantem aureum, aftare, ac fibi arridere cernit, his verbis hortantem, Puer munde, mecum de calice bibe. Quo guftato, inexpertæ dulcedinis fuauitate abforptus, focijs id quoque guftandum porrigi poftulat. Hinc in fingulare fanctitatis fuæ præfagium, tali glorificatur oraculo, Si totum ebibiffes, uniuerfum mundum aduocaffet] Sed quæ de Simone vatidico hic, & alij fcripferint mira, alterius temporis erit fpeculatio: nunc tantùm, quæ in laudem amborum, Simonis videlicet, & Stephani, Frater Benedictus Chelidonius epigrammate cecinerit, recitabo:

[Simon Eremitis Patribus decus utile, vitam
  Chrifti qui panxit ritè falutiferam.
Rectè & qui patria Cafianus odore beati
  Quod fpiret cafias largiùs eloquij.
Iure tibi colitur Stephane, amplexate tenorem
  Ordinis, & fophiæ non fine laude parem.
Confiliifq; tuis meliore excuditur ære,
  Præfto fit ut femper, quem decet ufque legi.
Vtpote quo lecto mentes reparantur inertes,
  Et Lector mores induit ingenuos.
Chriftus quandoquidem nobis exemplar haberi
  Se voluit, cuius Doctor hic acta docet.]

Stephanus Wittembergenfis congeffit Quadragefimale magnum, doctrina Sanctorum Patrum, imprimis Auguftini, redundans. Primum thema eft ex Matthæi fexto [Amen receperunt mercedem fuam] Initium [Omnis, qui nunc in carnis] legi Monachij. O ubi iam Stephani?

Stock, idem, quod Piuonia.

Strigonij in Hungaria monafterium Sanctæ Annæ, amiffum. Ladiflaus Rex monachis, à feruitijs eiufdem fanctuarij exiften-

existentibus, pro ædificatione monasterij donat terram Armenorum, Kunchilmo Comiti antè spoponsam, ad terram usque Capituli Strigoniensis, & ad calidas aquas anno millesimo ducentesimo nonagesimo. Paulus Magyar, maior Tauannicorum Regalius, & Castellanus de Gymes, Ludouici Regis assensu donat possessionem Daag in Comitatu Albensi propeCholnuk anno millesimo tricentesimo quinquagesimo, & quinquennio pòst. Tum idem ibidem confirmat Petro de Zala monacho post alterum quinquennium. Cogitur eo prouincialis cætus anno sexagesimo sexto à millesimo quadringentesimo. Matthias Ladislai, & Andreæ prædecessorum priuilegia de terra Armenorum confirmat anno hinc quinto. Ioannes Vicesimus secundus mandat Archiepiscopo Strigoniensi, & Episcopis Waciensi, & Quinqueecclesiensi, ut monachos nostros in Hungaria foueant; in eorum gratijs, immunitatibus, & priuilegijs conseruent; rebelles, turbatorésque pœnis, & censuris reprimant, coërceántq;. Auenioni Pontificatus anno primo. Wladislaus Rex Thomæ de Zachan Baccalaureo, Priori, confirmat donationem Pauli de Magyar Budæ anno millesimo quingentesimo octauo. Hæc Brunæ Recentiora monimenta non inueni. Promeruit sua amplitudine comitia Ordinis generalia anno 1385. Modò (parum dicerem, amissum) ab hostibus fidei cum reliquis sacris Christianorũ fanis, Machometicè profanatũ.

Theodoricus, Lector, de Parta cœli, Saxo, composuit in laudem Virginis Mariæ librum, cui titulus est [Hortulus virginitatis] Proœmium incipit [Aue Maria] Tractatus [Nunc humiliter est tibi auscultandum] Diuiditur in quinque distinctiones, & octoginta capita: redundat scripturis: ardet spiritu. Exscriptum in folio vidi Monachij.

Tholomęus Episcopus Buduésis (ut habent diplomata) aliàs

Bardanenſis, viuebat anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo quarto, qui indulgentias eccleſiæ noſtræ Melnicenſi in Bohemia largitùs eſt: unde primò eius memoriam moribundam excitauimus,

Thomas Argentinenſis, ex Rhenana Prouincia, regularis vitæ obſeruantiſſimus, & non minùs in ſacris concionibus gratioſus, & eloquens, quàm in diſciplinarum diſputationibus diſertus, atque ingenioſus, quæ duo perrarò in uno eodémq; viro feliciter coniunguntur. Quare inter multa, quæ utiliter ſcripſit, Sermones ad clerum ſunt, & Commentaria in quatuor libros Sententiarum, quæ incipiunt ex tertio capite Abacuch [Dedit abyſſus vocem ſuam] Præterea tantæ is erat ſagacitatis in adminiſtratione rerum, & (quod maiorum eſt virium) in hominum præfecturis, ut ſuper hos quatuor angulos; probitatis ſcilicet, facundiæ, eruditionis, atque ſagacitatis, tanquam ſuper baſin ſtabiliſſimam, non Pariſijs modò, ubi diſcendo, atq; docendo mirum inmodum creuerat, ſed & in Ordine uniuerſo eminentiſſimus ſurgeret, coloſſo altiùs Rhodiano immodicæ proceritatis, Orbíſq; miraculo. Proinde quater ad generalem Ordinis magiſtratum euectus eſt; electus ſemel, ter confirmatus: primúm Lutetiæ Pariſiorum anno milleſimo tricenteſimo quadrageſimo quinto, quinto Idus Iulij; triennio poſt Ticini (nam in triennium fiebat tunc ſenatus Ordinis conſultus) tertiúm Baſileæ; poſtremum Peruſiæ, anno quippe quinquageſimo quarto ultra milleſimum tricenteſimum: ita ut duodeno annorum circulo penè completo, unà cum carnis onere depoſuerit Ordinis magiſtratum Viennæ in Auſtria anno ſeptimo, & quinquageſimo ſupra tricenteſimum atque milleſimum. Ita enim in lapide tumuli eius inciſum eſt [Anno Domini 1357. obijt Frater Thomas Prior generalis, ac

Profeſſor

Professor sacræ paginæ Ordinis Fratrum Sancti Augustini] Quocirca festinanter Seripandus, & qui eum sequuti sunt, obitum illius in annum superiorem referrent, nisi fortè is contigisset in confinijs utriusque anni, & alij (ut fit) exeuntem, alij intrantem annum suscepissent. Sileo iam quam fuerit carus Summis Pontificibus Thomas; quæ à Clemente Sexto, & Innocentio item Sexto priuilegia circa rerum, personarúmq; immunitates, circa ecclesiasticas functiones Ordini nostro obtinuerit, quæ omnia in tomum secundum, & tertium Historiæ nostræ reiecimus, sileo hęc: sed quis sileat, quantum præstiterit hic noster Numa in ferendis legibus Reip: nostræ? Constitutiones regulares, in Ratisponensi synodo anno nonagesimo post millesimum ducentesimum latæ, ad eam molem creuerant successu temporum (tam faciles in sanciendis legibus quique sumus, cùm tamen difficillimi euadamus, & penè immobiles in obseruandis) ad eam molem dico, ut eas & legere absterrerentur monachi: is cui uni à Patribus conscriptis reformatio earũ in comitijs Parisiensibus data est, excisis plurimis, quæ illi ætati non congruebant, quæ congruebant, adiectis, in eam formam redegit, ut in Ticinensi consessu Patrum probatæ senatusconsulto eæ tantùm, indictæ eæ tantùm uniuerso Ordini constitutiones, quas ediderat Thomas. Præter quas, sanctiones alias (bone Deus ecquales? Prouincijs singulis Alemaniæ suę in synodibus, quibus isipse pręerat, tulit: cuiusmodi & ego legi in codicibus synodalibus eius temporis; obstupuíq; adeo ardua, etiam in minutissimis rebus, pręcipi abundanter hominibus Alemanis: quæ planè huic seculo nostro videntur inimitabiles. Sed hac olim arctissima disciplina continebantur in officio monachi; producebant claustra Germanica sanctissimos ac doctissimos Patres. Germani mei, vos appello: Thomas noster, Germanus fuit, & licèt primus ex Germanis

Prior totius Ordinis, electus tamen, ac toties electus; quis neget, quin alij eligantur Thomæ? Adsint duntaxat. Ecquid prohibet, quin adsint? Flagellant hæreses, non inficior; at tantò maior nauanda opera literis: nam oportet & hæreses esse, ait Apostolus, 1. Corin: 11. Vt excutiamus pigritiam nostram, exponit Augustinus. Vexant hæreses, video; at eò viuendum sanctiùs, ut ora hostium obstruamus. Noui dicere, & velle noui, quàm foret utile, si Prouinciæ singulæ ex sua gente haberent Prælatos suos; Bohemica Bohemos; Polonica Polonos; Dalmatina Dalmatas; & sic aliæ alios; ut hi suis ijsdem linguis familiariùs cum suis monachis agerent; &, morum conscij, manus inferrent, ubi est opus: eamqué ob rem in prioribus visitationibus nostris tales in comitijs, quantum valuimus, promouimus libentissimè: at non hoc satis: requiruntur & alia, & quidem grauioris momenti, ad sustinendas habenas hominum; ad formandū idoneū Præsidē monachorū. Mutata equidē tempora; homines hominibus successère: sed idem Deus, idem Ordo, eadem regula Augustinensiū.

Thordæ, seu Thurdæ, cœnobium sanctissimæ Virginis ab hostibus Christianæ religionis pessundatum. Carolus, Rex Hungariç, Thordensibus Fratribus nostris, Priore tunc tēporis Dominico Lectore, tria volumina Bohemici panni, albi coloris, Prælato verò ulnas tredecim logoleni singulis annis infra octiduum à festo Archangeli Michaëlis dari iussit, Vissegradi anno 1466. Matthias successor confirmat Matthæo de Crisio Prouinciali Hungariæ. Quære, si ultra aues, Deesvvar.

Tubingæ in Ducatu Wirtembergico monasterium Prouinciali Rhenano semel parebat. Iacet.

Thuregiense in Heluetia, olim eiusdem Prouinciæ, desideratur cum plerisque alijs.

Tusta,

Tuſta,Germanicè Tauſs, Bohemicè Domazlicz, urbs Bohemiæ, à monaſterio Piuonienſe vix diſtans ultra milliare gentilitium, cœnobio noſtro quondam ornata, de quo Hagecius. Fundauit Wencezlaus, Bohemorum Rex, & Marchio Morauorum, aſſenſu Thobiæ, Epiſcopi Pragenſis anno milleſimo ducenteſimo octogeſimo octauo, circa quæ tempora Pragenſe itidem exordia cœpit. Componitur controuerſia quædam de calice, & conficiuntur literæ anno milleſimo tricenteſimo quinquageſimo tertio, in quibus ſex nominantur Fratres conuentuales. Viſitur adhuc eccleſia, manet clauſtrum, deflemus omnia: eorum magis ſalutem, quibus (prô guſtus) ſacræ ipſæ opes ſuauiſſimè ſapiunt; ſed ad interitum.

Vallisſpecioſa, Germanicè Schontal, numeratur ab Hagecio inter oppidula Bohemię, tametſi ditionis eſt Palatinę extra ſyluam Bohemicam ſita in Bauarię oris: quadere ipſemet Hagecius in enumeratione noſtrorum in Bohemia cœnobiorum, huius non meminit, ac Patres in Diſtrictu Bauariæ collocabant. Diſtat à Piuonienſi tribus, à Ratiſponenſi propè octo milliaribus. Vallis reuera ſpecioſa, piſcinis nitidis, piſcoſisqué fæcunda; paſcuis, ſemper herbeſcentibus, redimita; porrecta in ampliſſimum gyrum, amphitheatri maximi ſpeciem reprę ſentans. Eximium hic floruit monaſterium, non quaſi vallum inter Bohemos myſtas, & Bauaros, ſed ſecus viam, quaſi hoſpitium familiare pręter euntibus, cogens obuium ad hoſpitandum; blandiens hinc herbis, inde aquis. Toties illius limbum lacrymula aliqua irrorare coacti ſumus, quoties noſtris in itione, reditionéq; obiectum oculis, pupillas paternas emunxit. Fundatum fuiſſe ante annum milleſimum ducenteſimum ſexageſimum octauum, ibíq; habitaſſe monachos S. Guilhelmi, conſtat ex literis quibuſdam

busdam Leonis, Episcopi Ratisponensis, quas in Seemans-hausen legimus, datas Ratisponæ sexto Idus Februarij anno millesimo ducentesimo sexagesimo octauo: in quibus is uniens Fratres Seemanshausenses Ordini nostris vigore bullæ Alexandri Quarti, eos & Fratres de Schontal, Ordinis Sancti Guilhelmi appellat, suæq; diæcesis. De qua re profundiorem disputandi rationem, ut grauissimi ponderis, in Historia magna suo loco iniuimus: non profundentes sententiam ventosissimè, prostrati potiùs affectionibus proprijs, quàm fallacibus coniecturis; sed asseuerantes puram (ut ut sit) veritatem. Et nihilominus habemus, quod cupimus, aliter, atque aliter. Quid enim ornamenti, aut laudis cuipiam accedere potest vanis mendacijs, semper turpidus, interdum etiam perniciosis? Compellit ad easdem dictiones inuectiuas loquacitas largissima quorundam. Hæc autem Vallis protulit nobis Patres ingenuos, Magistrum Georgium Prouincialem anno tricesimo primo à millesimo quadringentesimo: qui & ob literas, & ob solertiam in agendo, cunctis Principibus Alemaniæ, cunctísq; Patribus suæ Prouinciæ ita carus erat, ut propterea prorogaretur ei Prouinciæ magistratus, quemadmodum habent acta synodalia anni millesimi quadringentesimi tricesimi quarti. Magistrum Hieronymum, Viennæ sepultum anno millesimo quadringentesimo quadragesimo quinto: & Lectorem Petrum Stiglerum Prouincialem anno millesimo quingentesimo tricesimo sexto: atque alios. Eligebant conuentuales Patres Priorem, ut cætera monasteria, in Diffinitorio prouinciali confirmandum, si placuisset suffragatoribus: nullam enim aliam aliter obligationem electio inducebat: & ãno tricesimo nono post millesimum quingentesimum, Lectorem Ioannem elegerunt, ac præsentarunt. Amittitur (ne dicam destituitur) anno quinquagesimo primo à millesimo quingentesimo sub Comite Rheni Palatino.

Varsauia,

Varſauia, ſeu Varſſouia, urbs Ducatus Maſouiæ princeps, Epiſcopatui Poſnanienſi in ſpiritualibus ſubdita; mœnibus, Regiáq; munita; haud paucis templis, atque ædificijs, in uniuerſum lateritijs, perornata, iam inde ab occaſu ethniciſmi, monaſterio fulſit Diui Martini, â Samouito Duce, unâ cum Rauenſe, & Cecanouienſe, autoritate Innocentij Sexti fundato, ut ſuperiùs in Cecanouia dictum eſt. Baſilica illuſtris, & monaſterium, quantum fert regio, magnificum, atque multorum myſtarum capax. Diſtat à Rauenſi milliarijs duodecim regionis illius, totidémq; à Cecanouienſi eiuſdem Ducatus: ſi diſtendemus funiculum, à Breſtenſi in Lituania triginta; â Cracouienſi in Polonia, quadraginta; tantundémq; à Craſnoſtauia Ruſſiæ. Vni obtemperant hęc omnia monaſteria Prouinciali Poloniæ, cum alijs eius regni, de quibus in locis ſuis. Tótq; inter ſe diſtantia, atque diſiecta loca debet unius laborioſiſſima uiſitatio, tanquam in angulum copulare. Libet huc adijcere, non ab re quidem, nonnihil de modo præcedentiarum inter mendicantes, ut nos vidimus ultra hos montes, qui Italiam ſæpiunt: hoc eſt pluribus in locis, híſq; nobilioribus illum Ordinem habere in urbe primatum, qui antè habuit in urbe monaſterium: ut in publicis feſtorum congreſſibus, potiſſimùm Corporis Chriſti, quibus nosipſi interfuimus, Spiræ, atq; Moguntiæ animaduertimus, quæ antiquiſſimæ ſunt urbes, ac illuſtriſſimæ. Cúmq; Monachij ædium noſtrarum conſecratio in eundem diem inciderit cum Patrum Franciſcanorum de Obſeruantia dedicatione eccleſiæ, ſeruatur ea temporis æquiſſima alternatio, atque pacifica, ut uno nos, altero ipſi anno præcedant. Equidem expedire fateor ordinem, præcipuè inter eas monachorum claſſes, quæ vel inde Ordines appellantur: laudo ordinem in militante, quem in triumphante Eccle-

ſia inter Angelos, & beatos homines ſummis elogijs collocamus, diſtinguentes in hierarchias & choros. Sed potiores ſedes ambitioſè affectantibus recordemur dixiſſe Dominum [Neſcitis, quid petatis] Math: 20. Addimus hoc; eundem ordinem iuxta locorum antiquitatem ſeruari etiam pleriſque in locis Italiæ. Quid tum? Intelligunt benè Varſauienſes.

Vederbergenſis cœnobij, diæceſis Caminenſis, meminit Ioannes Merkelin ſuper epiſtolas dominicales in ſuperſcriptione dicationis ad Epiſcopum Warmienſem.

Velunia, ciuitas maioris Poloniæ, diæceſis Gneſnenſis, à Cracouia diſtans leucis viginti octo, monaſterio noſtro amplificatur in honorem ſacratiſſimi Corporis Chriſti.

Vienna, archiurbs Auſtriæ ad Danubium, formoſa, & fortis, Sereniſſimorum Archiducum Auſtriæ ſplendidiſſima ſedes, alebat Fratres noſtros in loco quodam extra Verder hertor (ut proloquitur in ſuo diplomate fundationis Fridericus, Romanorum Rex) anno verò milleſimo tricenteſimo viceſimo ſeptimo iſidem, Alberto, & Othone fratribus conſentientibus, domum in Alkaſtrata, quæ olim ad Carthuſianos monaſterij Maurbacenſis, ſecundo à Vienna milliari, pertinebat, pro nouo myſtarum noſtrorum phrontiſterio, quò fuerunt continuò tranſlati, unâ cum multis gratijs, & immunitatibus donat. Creuit inde adeo ædificijs, atque opibus, in commune collatis, ut inter generalia Ordinis cœnobia florentiſſimis literarum exercitijs conſcriberetur, & prouincialem conuentum admitteret ſæpenumero; generalem ſemel ſub Matthæo Aſculano, anno milleſimo tricenteſimo ſexageſimo ſecundo. Educabat adhuc anno milleſimo quingenteſimo viceſimo tertio monachos ſex & viginti, ac ſcholas, Priore Acacio Claus, etſi temporibus multifariè agitatis. Deinceps autem

autem, Lutheri ex vaporario erumpentibus flammis, incensa circùm monasteria multa, denigrata non pauca. Viget tamen Viennense, etiam hodie, præsidio pijssimorum Principum Austriacorum, ut domestica eorum basilica, quò per extensum ab aula simulacrum, coniunctum ædibus sacris, ad diuina commeant. Præ alijs uno nobilitatur ecclesia prope miraculum sepulchro eleuato in intercolumnio, ubi trium amplissimorum, ausim dicere Patriarcharum, ossa felicia cõquiescunt: Thomæ scilicet Argentinatis, Prioris Generalis, theologi disertissimi, & Gregorij Ariminensis, Doctoris item summæ eruditionis, atq; (ut Iordanus celebrat) magnæ sanctitatis: ob quæ Christiano Orbi, Lutetiæ præsertim, venerationi erat, qui Thomæ ut successerat in dignitate Præsulatus, ita breui, unius tantum anni, spatio, humili sandapila funeris. Vtq; viui ambo professione, doctrina magistratu fuére coniuncti, ita in morte, unius lapidis, tumulíq; consórtes. Ne verò quicquam superesset desiderandum maiestati unius sepulchri, tandem Iordanus ipse vir deuotissimus, atque beatus, & diuinorum arcanorum prædicator eximius, posteaquam vicarias Prioris Generalis partes super totam Germaniam aliquot annos beatissimo gubernandi ritu sustinuerat, carnis debitum soluens, contumulatus ibidem est. Felicior tumulus Achillæo, qui lacrymas, & suspiria magni Macedonis sola Homeri laude promeruit. Quid non regiminis, probitatis, eruditionis, ubi Iordanus, Thomas, Gregorius? Leguntur eo in loco etiamnum carmina quædam in tabella pensili, olentia vetustatem, quæ ad dictorum fidem, & honorem antiquitatis, referam.

[Austri Reginam Salomon velut attrahit ipsam,
Austria sic doctos euocat ipsa viros.
Eximios plures Augustini modò Fratres
Terra tenet, qua stas, narro quod ecce scias.

Ac ores meminens horum, quod gratia clemens
Ipsis subueniat, diluat atque malum.
Tumba leuata duos Doctores hæc tenet altos,
Hic Alemanus erat, Italus ille fuit.
En Argentinæ Thomas, Gregorius atque
Arimini, celsi, prævalidíq; viri.
Scriptis præclari, sed & officio Generali,
Ordinis huius sunt, quos tenet hic hæc humus.
Et circumcirca quorum sunt nomina nota,
Egregios, doctos & simul esse viros.
Sed tamen & notos referam tres, ecce Ioannes
De Bradis Saxo clauditur hócq; loco.
Atque Leonardum, Carinthia quem quasi nardum
Diffudit, tenet hic proximus ipse locus.
De Recz Australis seruantur & ossa Ioannis
Post hunc; o simul hos solue benigne Deus.
Sic precor, orate pro doctis his, ut & ipsi
Pro nobis orent, quos docuêre priùs.]

Dices, cur Iordanus, vir non minùs memoria dignus, quàm Thomas, atque Gregorius, si cum Gregorio, & Thoma conditus est, non nominatur, ubi tamen aliorum non tam excelsi nominis theologorum, iuxta humatorum, nomina referuntur? Propterea quidem, quia ante obitum Iordani edita fuerunt ea carmina: quare is libro secundo, capite vicesimo secundo De vitis Fratrum, recensens opera nonnullorum præstantium Patrum nostrorum, & Thomæ, & Gregorij, qui valedixerant, commentarium fecit. Demum marmor porphyrites hoc nostro hexasticho literis aureis proximæ columnæ scapo sublimè accessit.

[Tres dant Saxonia, Ariminum, Argentina parentes;
Vna tot ingenuos terra creare nequit.
Et tria tres patriæ, pietatem, dogmata, regnum:

Ter tria centenum continet empyrium.
Spésq;,fides,charitas hos tres coniunxerat uni:
Tres ter felices unus habet tumulus.]

Sepeliuntur in eodem templo, Simon noster, Episcopus Castorensis anno millesimo tricentesimo nonagesimo; Magister Hieronymus Speciosanus anno millesimo quadringentesimo quadragesimo quinto; Magister Augustinus Auripolitanus anno millesimo quingentesimo decimoseptimo,exitioso; Magister Ægidius Elparensis, Prouincialis Bauariæ, anno millesimo quingentesimo sexagesimo secundo,omissis alijs, quòd cellæ abecedariæ suis angustijs non omnes capiunt. Habetur hic inter alia diplomata,memoratu dignissima, illud indulgentiarum Incelerij Episcopi Budensis pro Marchekano cœnobio.

Viepachium, Germanicè Viechpach, siue etiam Vicpach secundum Auentinum, nisi finitimæ figuræ elementum in correctione imprimendorum, errorem, propè inuisibilem,tulerit. Quid propinquius,si literas formemus,quàm inter sese hæ duæ c,& e? Hoc,inquam, Hofmarchia olim, & venatorium Comitum de Leonberg,seu de Leonsberg in Bauaria,à monasterio Seemanshausensi tribus,& tribus à Lantshuota, à Ratispona septem, à Frisinga totidem disiunctum miliaribus gentis,situ paululùm edito,aëre salubri,terráq; non solúm frugifera,pomiferáq;,sed nec vitibus omnino inimica. Cui præterfluens Isara,placidissimus amnis, pisces aquis, aurulúmq; etiam ramentosis arenis quandoque inuehens,naturali quadam decimatione tributum,specie magnum,re exiguum,pendit. A quo,& alluentibus limbum riuulis,hinc inde collabentibus,Viepach dicitur,quasi ad aquas via,vel pecudum aqua. Hic ad Dei gloriam,Deíq; Matris,& Augustini Doctoris Bernger Comes, quem Auentinus, & Hundius nunc Berengarium,

garium, nunc Beringerum appellant, monasterium nobis condidit anno millesimo ducentesimo nonagesimo sexto, ea lege, ut decem ibi moniales quas Augustales virgines, fortè ab Augustino, agnominat verborum faber Auentinus, cum duobus ex nostris sacerdotibus, quos de Capella Domini Ratisponensi, à deuotione in eum locum nuncupat, suæ Hofmarchiæ fructibus alerentur. Eo verò defuncto, cederet hæc in plenum dominium monasterij, numerúsq; monialium geminaretur, duobus item sacerdotibus nostris cum socio permanentibus: Auentinus autem, & cum eo Hundius, duodenarium sacrarum virginum numerum, à fundatione requisitum, & post obitum fundatoris duplicandum, nescio quo autore, asserunt. Conradus Episcopus Ratisponensis, consentit fundationi, & oratorium eiusdem virgineti à parochia Kirchperg, quæ postmodum per successores cœnobio fuit unita, liberat. Excedit è viuis Berngerus eodem anno, & in medio eiusdem templi in tumulo eminenti conditur, in cuius petræ crepidinibus hæc leguntur [Anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo sexto obijt Berngerus, Comes de Leonuerch, piæ memoriæ, sexto Kal: Maij] Ex his videmus, à Ratisponensis fundatione monasterij parta alia Bauarica nostra: primum Seemanshausense eodem anno, quo Ratisponense: deinde quadraginta pòst annis Viepachiense, ac Monacense. Ingenua est harum virginum puritas; disciplina castigatissima; & (quantum humanæ vires possunt, roboratæ gratia Dei) vita cœlica, mores superhumani, atque inculpatissimi. Vita hic fungitur, & secus primum altare incineratur Mauritius Tertius Prouincialis, ex Congregatione Ianuensi, vir zelosus, & eruditus; qui sui regiminis, immatura morte interclusi, magnum, communéq; desiderium Bauaris reliquit. Lapis eius hæc habet [Hic tumulata quiescunt ossa Reuerendi Patris Mauritij Tertij Par-

mensis

mensis, sacræ theologiæ Doctoris, Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, Prouincialis, ac Vicarij generalis per Germaniam, & Poloniam, ætatis suæ quadragesimo tertio. Obijt die 18 Februarij, anno Domini 1594.] Parentauit ei luculenter Magister Sanctes Ariminensis oratione data typis Monachij anno eodem, quæ incipit [Ecquis in tam flebili] Collegit Mauritius breue chronicon Ordinis, ut epitomen, in folio, dicauítq; Augustino Fiuizanio, Summorum Pontificum â sacris Mæcenati suo, ac prædecessori tuo, cui vel carissimus erat. Datur prælo Venetijs anno octogesimo secundo à millesimo quingentesimo. Vnum hoc ex eius monimentis vidimus, etsi eum lucubratum esse alia ferant. Fuit Congregationis suæ Ianuensis Vicarius generalis, quam laudabiliter gubernauit: & Augustino Cornetano, Procuratori Ordinis, tum Vicario Apostolico, à secretis cuius loco interdum Latinas orationes ad Pontificem habuit, & Collegium Cardinalium. Conuentus verò Viepacensis specimen hoc est.

[✠]

Villielmus,



Viepacense Monasterium.

Villielmus, siue Wilhelmus, Episcopus Nicopolensis, Archidiaconus Brunensis, & Episcopi Olomucensis Suffraganeus, ex hac vita migrauit anno millesimo quadringentesimo octogesimo primo, Episcopatus sui quadragesimo, & Brunæ in templo nostro fuit sepultus: cui successit Andreas Bysman anno sequenti.

Vldricus Brunsuicensis, integræ bonitatis, atque exactæ prudentiæ, posteaquam multis in locis Priorem cum laude egit (non dixi omnium; quis enim si probis satisfaciat, satisfaciat improbis? fine occubuit religiosissimo. Cúmq; pro eius anima oraret iugiter Pater quidam, ei assiduus, hac visione monitus est, volasse eam ad Superos. Apparuit illi nocte quadam Vldricus, iacens, quemadmodum mortui, in feretro ante templi altare: videbatúrq; illi, concionem habere se funebrem ad populum, & in fine animam eius, auditorum suffragijs commendare: utqué maiore Vldricum suum honore afficeret, spargere singillatim super cadauer indumenta sacerdotalia, quorum multa se in suggesto habere cernebat. Quo in officio dum magis occuparetur, ecce ex aëre pendere super capulum membraceam schedam hoc epitaphio ex psalmo centesimo tricesimo primo aureis literis picturatam [Surge anima mea in requiem tuam] Idipsum Iordanus noster commemorat libro secundo De vitis Fratrum, octauo capite.

Vormaciense cœnobium, infra Moguntinense, atque Spirense in Prouincia Rheni, à ciuitate nouatrice possidetur cum prædijs; hoc uno humanæ hospitalitatis officio perseuerante ex conuentione quadam, ut in cubicula designata monachi nostri, euntes, aut redeuntes, hospitio excepti, alantur gratis: quod experti sumus.

Vratislauiæ monasterium in Silesia fundatores habuit Carolum Romanorum & Bohemiæ Regem, atque Annam

Reginam,illud pro duodecim monachis dotantes. Causam eius cum Canonicis Vratislauiensibus de campana quadam Matthias Abbas de Zobrdovviz, commissione Eugenij Quarti, Brunæ coram Willielmo Episcopo in fauorem monasterij decidit anno quadragesimo quinto â millesimo quadringentesimo. Vlteriorem notitiam certam nondum habeo. Quod compilata omnia fuerint, & ipsum denique usurpatum monasterium, dixisse est satis.

Vtenueiler in Sueuia, cœnobio, iam olim sub obedientia Prioris Prouincialis Rhenani, potitur.

Vaissenburg, urbs imperialis, Alsatiæ inferioris, monasterium, ad Prouinciam Rheni similiter attinens, utcunque retinet.

Vaissuasser, vide Biela.

Werder, seu Wostrovv, quære Insula.

Wittembergense monasterium in Saxonia, cessit in dotem aduentitiam Martini pseudomonachi, largitione Friderici Ducis: certè, ut triformi sacrilegio saturaretur execranda enormitas. Sacer vir, sacra mulier, sacra dos.

Wolfgangus Hofman Norimbergensis, concionator elegans, artibus liberalibus eruditus, & in controuersijs theologicis valde versatus, quem nos de virtutibus benemeritum sacra Doctoris laurea coronauimus; cùm Pragæ aliquot annos conciones multa cum laude habuisset, nonnullis ad rectum fidei tramitem reductis, promotus ad Prioratum Viennensem, ibidem peste decubuit anno quinto post millesimum sexcentesimum. Sed quomodo? Statimatque se infectum sensit, facta iugibus lacrymis confessione sacramentali, ac sacra refectus synaxi pro extremo viatico, ad alios agonizantes Fratres suos dimisit, quem & pro se vocandum præceperat, externum presbyterum: ipse verò ad exemplum Beatissimi Patris Augustini, psalmos

IN ALPHABETVM
TRITON.

I Felix, i libellule,
Parue, iucunde, nitide:
Magne rebus; ſed folijs
Parue; iucunde varijs
Formis; verbiſq; nitide.
Tranſi æquora, tranſi æthera,
Magnæ TRITON Hiſtoriæ
Eremitarum Ordinis,
Quaternis voluminibus,
Quaternis orbis partibus
Vulgandæ claris buccinis.
Hiſtoriæ antiquiſſimæ
Afri Auguſtini, Antiſtitis,
Doctoris ſummi; inſignium,
Patriarcharum, procerum;
Geſtorum mirabilium;
Cœnobiticæ Hiſtoriæ.
Texit quam nunc MILENSIVS,
Miles, & Enſis validus
Pro militante Eccleſia;
Alter Thales Mileſius,
Sophus ſacer, grandiloquus,
Paſtor vigil Germaniæ;
Integer vitæ, ſceleris

Purus, morumq; candidus;
LAVRINI laurus, laurea,
Musarumq; deliciæ.
Texit quam nunc MILENSIVS
Pater gemmato stamine,
Ac pectine eburneolo.
I, redi, boa, reboa
Per Alphabeti literas,
Nil te morentur Cynici;
Liuent, non agunt liuidum:
Licèt latrent, tu persona.
I felix, i libellule,
I bellulorum bellule.

ERRATA CALCOGRAPHICA CORRIGENDA.

Pag: 13. & Ocha	ex Ocha
14. à Viennis	à Viennensi
Idem, & a polonos; non quales	& Polonos, quasi colonos; non quales
16. cum multis	eum multis
Basiliensis	Basilæensis
18. pontificialiter	pontificaliter
19. Sammouitus	Samouitus
22. incorruptis	incorruptus
23. martylogium	martyrologium
24. permittense	permittente
26. Hunc	Nunc
30. transfirmati	transformati
31. firmissima	firmissimi
32. sciam	suam
ad	id
34. nullaq;	nullamq;
36. fungio	officio
ignitus	insignitus
magno	magna
38. conuescans	conuescens
39. ut	in
40. calcographa	calcographia
41. diuersis	diuersus
47. instantas	instantes
depactis	depastis
49. cuius	viuis
51. opposuerit	apposuerit
sorticus	sortitus
54. mortibus	morsibus
55. collegijs	collegij
57. summat	sumant
58. Regionem	Religionem
Tridentino	Tridento
61. - - - -	oriundus
impensionem	impensiorem
62. - - - -	anatomiam
63. celebrosa	cerebrosa

64. sol-

64. ſolles	folles
71. peticis	petitis
73. obmuterunt	obmuteſcunt
75. propugnatus	prognatus
77. Luodouicus	Ludouicus
78. epiſcopo temporis	epiſcopo tunc temporis
81. hiſtorice	hiſtorici
85. emulatu	æmulatus
86. expleratiſſimum	exploratiſſimum
vitis	viris
87. vixerit	direxit
monachatam	monachatum
89. arbitris	arbitrio
90. refrigat	refricat
pronunciatam	pronuciatum
91. craſſo	craſſa
- - - -	Ioachimicis
92. ſymbulum	ſymbolum
93. Recolis nos	Recolis quam nos
96. ſenſum	ſenſim
illeberaliter	illiberaliter
97. inciperat	inceperat
98. annumeræ	innumeræ
102. cædet	tædet

Sequentium paginarum errata non annotauimus: verùm tam hæc, quàm alia, quæ fortè non vidimus, poteſt prudens lector facilè emendare: obitus enim typographi in ipſo initio impreſſionis, & vicinitas nundinarum effecerunt, ut plura acciderint errata, quàm timebamus.

[✠]

mos recitans pœnitentiales, mente integer, Deo efflauit animam; respirans potiùs, quàm spirans. Ea est conscientiæ qualitas, ut, si nunquam noscitur, noscatur in ultimo conflictu cum maximè. Quàm bonus est Deus. Qui antianus fuerat in hæresi, vocatur simul ad fidem, ad claustra, ad clerũ: post breuem deinde cursum vocatur ad brauium.

Wolfgangus Ostermair quiescit in nostra ecclesia Monachiensi, hoc in lapide sculpto elogio [Anno Domini 1531. decimo octauo Ianuarij obijt Reuerendus, ac eximius Pater Wolfgangus Ostermair, scripturæ summus interpres, Prior, ac concionator huius loci, cuius anima Deo viuat.]

VVilak oppidum diæcesis Quinqueeclesiensis in Hungaria, cœnobio claruit tituli Sanctæ Annæ, cuius memoriam reliquit decisio Nicolai Vicarij Strigoniensis in quadam vineæ causa cum Andrea, Canonico Bachiensi, anno millesimo quadringẽtesimo tricesimo octauo. Seruatur Brunæ. Est etiam non valde absimilis nominis Frisak in Carinthia, quò semel, superato Tauro, monte immani, ac niuosissimo, accessimus, cum rigescit Decembri hyems, monasterium condituri; VVolfgango Archiepiscopo Salisburgense rem acriter promouente, cui ciuitas in temporalibus, ac spiritualibus, quemadmodum & totus Archiepiscopatus, paret.

Xianzum, oppidum Districtus Cracouiæ, eiusdémq; diæcesis, septem ab ea urbe milliarijs positum, ut incẽdijs ipsum sæpè succubuit, ita & ipsius monasterium Sancti Spiritus, ecclesia duntaxat reijcente flammas, Sicuti & Zamouito, Masouiæ Duce, ad regnum anhelante, factum est: qui, ubi Spitconem Melstinium, aduersarium esse nouit, oppidum eius Xianzum (ut Cromeri verba sunt) admotis ignibus incendit. Nunc verò sub magno Curiæ Marescialo paucis monachis reuiuiscit.

Ymerius,

Ymerius, Episcopus Acciensis, interfuit Concilio Lugdunensi anno 1274. eodémq; tertio Kal: Iunias statis quibusdam diebus indulgentias quadraginta dierum basilicę nostræ Ratisponensi affixit: ex quo diplomate, quod incipit [Deuotionis pietas] nobis innotuit, vicesimus Episcopus ex commemoratis in hoc catalogo, quos Ordinis chronistæ, ut latentes, præterierunt. Vtinam ad aures nostras unâ cum eorum nominibus catorthomata peruenissent: nam non ita missum faceremus Ymerium, cuius sola memoria, tanquam aurea fibula, claudimus Alphabetum [Quapropter etsi contristamur de aliquibus purgamentis, consolamur tamen etiam de pluribus ornamentis] inquit Sanctus Doctor Augustinus ad Hipponenses, epistola tricesima septima post centesimam [Nolite ergo (vos moneo quicunque hæc legitis) propter amurcam, qua oculi vestri offenduntur, torcularia detestari, unde apothecæ Dominicæ fructu olei luminosioris implétur] Tu verò Antistes, hunc prodromum votorum meorum humaniter excipe: hísq; minimis (si minima sunt, quæ vera, quæ iucunda, quæ pia) subarratus, integram expecta Historiam. Paucissima hic retulimus monasteria, reliquimus plurima: verùm tot insignia cœnobia fundauit Ludouicus Imperator, cognomento Pius, quot sunt literæ alphabeti, singulis una præposita: nósq; etsi Cæsareum institutum imitati minimè simus in singulis literis, literarum tamen numerum, si monasterijs conferamus, longè excessimus. Nosti Plinianum adagium, Nullum esse librum adeo malum, qui non aliqua ex parte prosit. Sed exhausta iam clepsydra silendum.

[✠]

Cum Gratia & Priuil: Sac: Cæs: Mai.

Pragæ, Excusum apud Hæredes Gaspari Kargesij. 1613.